Dr. E. W. Hengstenberg Berolini 1824.

INSTITVTIONES SYMBOLICAE,

DOCTRINARVM

CATHOLICORVM, PROTESTANTIVM, SOCINIANORVM, ECCLESIAE GRAECAE, MINORVMQVE SOCIETATVM CHRISTIANARVM

SVMMAM ET DISCRIMINA

EXHIBENTES.

IN

VSVM LECTIONVM

SCRIPSIT

PHILIPPVS MARHEINECKE,

THEOLOGIAE DOCTOR ET IN VNIVERS. LITER. REGIA BEROLINENSI PROF. P. O.

BEROLINI 1812.

SVMTIBVS LIBRARIAE SCHOLAE REALIS.

PRAEFATIO AD AVDITORES.

In colloquio illo Vormatiensi *), ad pacem in caussa religionis reconciliandam sub finem anni salutis 1540 instituto, postquam ab utraque parte non tam de proposita re, quam de colloquii via et ratione diu multumque disputatum erat, Philippus Melanchthon, Theologorum in urbe Vangionum tunc versantium caput et tanquam πρωταγωνιστης, in epistola ad Granvellanum, Caroli V. Caesaris legatum data, nobilem atque praeclaram vocem edidit **). Quem quidem immortalem virum quamquam non rixarum et contentionum, imo moderationis lenitatis-

*) Cuius historiam suppeditat Sleidanus in Commentariis de statu relig. et reip. II. p. 200. ed. Am Ende, et S. V. Planck, Gesch. des protest. Lehrbegr. III. 2. p. 65 sqq.

**) Epistolam inseruit Camerarius narrationi suae de Vita Melanchthonis, ed. Strobel p. 188.

que studiosum et in dirimendis controversiis totum nimiumque fuisse, inter omnes constat; tamen quum audivisset, a quibusdam dici, non esse opus disputatione, quandoquidem illae non sint rerum, sed verborum controversiae, quas prosit obruere potius, quam agitando excitare: res easdem esse, horridiora quaedam verba lenienda: tali praedicavit iudicio utramque partem vehementer laedi. Si enim verborum tantum sint dissidia, interrogavit, cur suae doctrinae assentientes interficerentur; cur tot mortales totasque adeo gentes deletas aliqui vellent? Perinde esse hoc, ac si Sarmata velit interficere Germanum, propterea quod lingua sit alia. Nimis se graves poenas dare inscitiae, si ideo plectantur, quod non satis facundi videantur adversariis. Se etiam sceleratos habendos, si Ecclesiae et Reipublicae tranquillitatem turbent non necessariis rixis verborum. Non igitur litem de genere sermonis, sed rerum magnas esse controversias, de vero Dei cultu veraque veneratione. Eas non esse eludendas hac specie, quod sint verborum certamina, nisi aliqui fortasse omnium religionum dissidia verborum esse certamina putent, a qua philosophia christianos prorsus abhorrere deceat. *Se unam veram religionem esse statuere, quae*

certo verbo Dei tradita consensus sit Ecclesiae catholicae Christi, in qua regnet Filius Dei et implorantes se audiat et impertiat salutem atque vitam aeternam.

Praeclare hoc effatum oculis animisque vestris, Commilitones, obversari volui in vestibulo quasi huius libelli, quo viam vobis ad cognoscenda multarum de religione christiana doctrinarum discrimina sternere constitui, non autem ad κενοφωνιαν quandam aut λογομαχιαν, qua quidem opinione hac nostra aetate permultos, omnis omnino generis homines, tanquam morbo gravissimo laborare scio. Et ab ipsis Theologis haec profecta et suscepta sententia nostris temporibus obtinuit, qua quid perniciosius excogitari possit, non video. Hi enim neque rei, de qua disputatur, gravitatem, neque animorum ad certam et diuinam veritatem aspirare cupientium indolem, neque arctissimum inter religionem atque sermonem vinculum cognoverunt (quibus tamen in rebus cognoscendis Theologia debet summopere versari): haec enim omnia si rite penitusque perspecta haberent, profecto longe aliter sentirent. Religio christiana, quae sacris nostris literis continetur, Verbum Dei vocatur, non, quod scripturis illis solis et per se divini quid inhaereat, sed quod diuinas res atque doctrinam comple-

ctuntur, a Filio Dei nobiscum communicatam. Omnis verborum gravitas ac dignitas non in ipsis, sed rebus, quae illis inhaerent, posita est. Ex ea rerum diuinarum amplitudine haud parum etiam dignitatis ducunt verba, saepissime ibidem obvenientia, ad exprimendam omnem a Christo nobis recuperatam salutem usitatissima, et maxime in controversia posita, v. c. fidei, gratiae, iustificationis, quae neglecta vel reiecta rerum ipsarum cognitione et exstincto pietatis, quo amplectendae sunt, interiori sensu, prorsus sunt ieiuna, quin insipidi magis quid, quam dulcissimum solatium continere videntur. Itaque etiam omne sermonis genus, quod ad exponendum et tradendum Verbum illud divinum et ad explicandam verborum illorum mentem et significationem adhibetur in Theologia, per se quidem humanum est, tamen cum quotidiano loquendi genere non uno loco collocandum, quandoquidem parum interest inter rem divinam mente animoque conceptam et sermonis aptissimum genus, quo continetur illa et quasi exstat expressa. Quodsi quis verbum non ex re ipsa enatum, sed externa ratione et humano arbitrio rei inditum putet, certe quidem facilis in verbis esse sibique verbum eripi aut aliud, quod mentem alicuius magis, quam

verum verbi argumentum exprimat, illius loco suppeditari sine contumelia pati potest. Verum non ea ratio est, qua religio veraque religionis cognitio solet in hominum piorum animis exsistere. Ita religionis quaedam notitia, externa magis quam interna, colligitur ratiocinando, unde non tanquam ex primo suo fonte fluit. Nascitur in animis cum idea verbum, tamque necessaria et interna utriusque coniunctio est, ut, quemadmodum idea verbum internum, ita verbum externa idea dici recte possit. Et verborum S. S. illorum intelligentia non solum pendet a grammatica historicaque interpretatione, ab iudicio mentis ingeniique acumine, sed etiam, multoque magis, quatenus firma fide suscipitur illorum una vel altera significatio, ab animorum assensu et quasi amplexu, qui quidem non unus idemque in omnibus est eodemque modo conformatus. Hinc omnium de religione dissidiorum origo et naturalis quasi necessitas. Hinc terminorum ambiguitas et logomachiae latus et amplissimus campus, quod neque verborum ac rerum, neque rerum et animorum subtile vinculum perspicere semper licet. Qua enim ratione animus sese sentit affectus, et alligatus ad verbi alicuius materiam ac veritatem, ea ratio demum persuasionem efficit, ex qua hoc diffici-

lius se everti patitur, quo magis rei vi ac veritate commovetur ipse atque tenetur. Quo ergo quisque utitur de rebus summis et arduis loquendi genere, in eo ipsius pietas conspicitur, ita ut, quo magis mens ad divina evehitur et ad persuasionem firmiorem adstringitur, eo tenacior soleat esse verborum, quibus illa distinguitur ab errore et humanarum doctrinarum commentis. Nam ea, quibus piorum animae tenentur obstrictae, verborum vincula a praepostera illa, temeraria et turbulenta protervia et a praefracta humanaque contumacia eorum, qui nulla re magis, quam rixis simultatibus ac dissensionibus delectantur, quibus quasi pascuntur, obiecto tanquam clypeo religionis sanctissimo nomine, facili negotio licet distinguere. Quare quod pietas ipsa creavit atque sanxit verbum, omni reverentia et pietate tenendum, idque maximopere spectandum est, quod in orationis genere aliquo latet pietatis mysterium et vinculum, quo verbum animis copulatur atque rebus divinis connectitur. Quod non solum de verbis in S. S. obviis recte dixisse mihi videor, sed etiam de iis, quorum haud rarior est in Theologia usus; doctrina enim omnis αγραφος (κατα διανοιαν, uti loquuntur Theologi) admitti solet ac debet, cuius veritas (ου κατα ρητον) ostendi

potest. Et recte quidem quaevis de religione controversia etiam λογομαχία censenda est, quandoquidem de re omnino verbis experte concertari nequit, omnisque dissensio non minus haeret in verbis, quam notionibus, quarum illa sunt quasi imagines, dummodo ne, quae falsa est multorum opinio, intra verborum altercationes consistere litem de rebus summis atque divinis subtiliorem omnem credamus. Haec contra in ipso errore severitas atque pietas, si non calumnianda est, et superbius aspernanda (contemni autem nequit vel in ipsis fanaticis, apud quos, ut constat, nulla fere verbi externi auctoritas), sed accurata sollertia ad veritatis scopum dirigenda et ex verbo divino diiudicanda: quanto, quaeso, minus in vero confitendo virilis illa et in verbis difficilior constantia tanquam pertinacia et obstinatio repudianda est, quemadmodum non a petulantibus solum ingeniis hodie fieri solet, Auditores. Quod nostra tandem tempestate vetustiora illa de rebus christianorum sacris dissidia non nisi de vocibus certamina visa sunt, eius rei caussa non longius repetenda est. A verbis longiori temporis usu consuetis et quasi sacratis sese continebant primum permulti, quoniam a sensu et mente recesserant, et quum inanis ita vitaque expers re-

iiciendus merito verborum sonus videretur, contentiones quoque illae de rebus theologicis acerbiores quid sibi vellent, nisi inane quoddam, assequi non poterant. Quapropter spinosas illas disquisitiones et inde mota cum adversariis certamina, quibus tantas curas totque vigilias impenderunt heroës, in quibus omne tempus omnemque vitam consumserunt viri summi et graves, tanquam nugatorias occupationes, otiosas quaestiones et humanorum affectuum impetus et vehementiam reprehendunt; in quibus autem merita omni reprehensione maiora, in quibus eruditionem, pietatem negare non possunt, tamen ingentium animorum nimiam alacritatem vituperant nunc e longinquo et dulci otio suo praelium spectantes. Si qui vestrum in eadem sententia sunt (quamvis eorum quidem, qui me docentem hactenus audiverunt, in ea nullos fore putem), iis parum utilis, fateor, hic libellus est: nam cum de rebus gravioribus disputationes, tum earum serio ac graviter ab utraque parte agitatam tractationem continet. Quamquam, ut monet noster Philippus, verborum calumniae et logomachiae caveri a nemine quamlibet cauto possunt *), in quibus quid humanum acciderit, sedulo

*) Epist. Tom. Lugd. p. 479.

debet notari et ab eo, quod res divina flagitat, distingui: tamen caveatis, ne incognita caussa de rebus ad divinam nostram religionem spectantibus disceptationes subtiliores repudietis consueto ἀκριβολογίας sive λεπτολογίας nomine. Nunc de instituti operis ratione dicendum est.

Quod in tanta rerum, quibus singulae fere Theologiae partes ac disciplinae, ubi intra ipsarum fines continentur, abundant mole, eam partem, quae symbolicam diversarum Ecclesiarum doctrinam spectat, a ceteris seiungendam et singulari loco et historica ratione explicandam curavimus, huius suscepti laboris, credo, non opus est, ut rationem reddamus. Nam in omni literarum genere ac natura hoc situm esse nostis, nec per se incommodi quicquam habet, imo haud parum utilitatis. Et ante nos etiam a viris doctissimis cum symbolicos unius vel alterius Ecclesiae libros illustratos, tum eius fidei ac doctrinae, qua in tenenda quaeque christianarum societatum a ceteris discedit, historiam traditam videmus. Ego vero ut utrumque hoc in libello coniungerem, duae hae me commoverunt caussae quam maxime: altera, quod veram rectamque alicuius Ecclesiae et doctrinae expositionem historicam e symbolis ipsius potissimum hauriri debere ac posse intelligebam; altera, quod, cum unius

Ecclesiae fides atque professio per se intelligi non possit, nisi adsumta et opposita alterius doctrina, cui illa implicita, innexa et quasi innata est, non in una explicanda consistendum, sed contraria etiam ac deinde omnium, quae maxime celebres habentur, Ecclesiarum et doctrinarum summam et internam rationem proponendam esse iudicabam. Habita praesertim symbolorum nostrorum accuratiori ratione et collata in quemcunque locum dictorum symbolicorum copia id potissimum me egisse non dissimulo, ut facili vos, Auditores, ratione allicerem ad ipsorum symbolorum, quorum iam turpiter neglecta iacet auctoritas, lectionem. Quid enim inhonestius cogitari potest, quam eorum librorum, quorum ad doctrinam fovendam, defendendam, excolendam et promovendam, non dicam iureiurando (ut consuetudo fert adhuc nonnullis in terris), sed ipsa Ecclesiae, cui addicti sumus, idea tenemur, quorum est in rerum sacrarum historia amplissimus locus, quorum denique per se est haud exigua dignitas, nescire summam atque historiam? Nam est in ipsis quaedam et rerum dogmaticarum subtilior et exquisita cognitio et mira explicationis gravitas atque praestantia. Equidem non ignoro, esse his etiam nostris temporibus, qui de illis minus honorifice sentiant: sed

quale cunque his scriptis inest vinculum, quo Ecclesiae Christi obstringimur, tamen id mihi videor recte esse dicturus, post sacras literas nullum esse librum his digniorem, qui vestris versetur manibus, Iuvenes, et aptiorem ad indolem verae ac purioris doctrinae et contrariae partis naturam cognoscendam. Vt rite tamen illorum mentem assequi possitis, opus est, ut S. S. et historiae sanae norma quaecunque in illis obvia studeatis summa cum dexteritate metiri: quapropter et harum lectionum non nisi in fine curriculi academici locus est. Ita vero si vos ad legendos iterum iterumque hos libros contuleritis, facile quidem quid humanum, quid divinum sit, ipsi intelligetis, nec quicquam vobis vel ulla veritatis aut auctoritatis specie obtrudi patiemini, cuius non est ex ipsis oraculis sacris probabilis origo et ratio.

Deinde in exponenda cuiusque Ecclesiae de religione christiana sententia, quatenus recedit ab alterius mente contraria, maximopere mihi spectandum erat, ut quocunque in loco recte formarem statum controversiae. In eo enim consistit praecipua huius laboris utilitas ac suavitas, ut quacunque in caussa το κρινομενον illud recte unoque quasi oculorum obtutu perspiciatur. Hic status caussae est, de quo, ut ait Me-

lanchthon *), Aeschines admonebat iudices, ut perinde ac pugiles de statu inter se certant, ita cum adversario dimicarent ipsi de statu controversiae nec sinerent eum extra caussam egredi. Qua quidem in re difficiliori me non semel errasse invitum, facile concesserim, nec doctiores effugiet. Multas res saepius, quae est compendii ratio, paucis tantum attigi, et omnino breviori mihi licuit esse propterea, quod nihil nisi materiam ordine lucido congestam atque compositam vobis suppeditare volui, de qua coram copiosius disputarem. Praeterea ex immensa librorum copia, quorum longa enumeratio haud parum habet in praelectionibus molestiae, eorum tantum, quorum commendabilis maxime usus est, succinctam addidi quocunque in loco notitiam. Equidem denique per sylvam densiorem et impeditiorem ne transituris posthac negotium esset, viam certam et planam parare maximopere studui. Et venit etiam in mentem, quod gravissimus auctor Plato scripsit, ea, quae sola animi intelligentia comprehendantur, (νοητα appellat), nequaquam scriptis pervulganda esse, sed memoria cogitationeque retinenda et contemplando apud se semper

*) Apologia Aug. Conf. p. 251. ed. Rechenb.

et disputando cum iis, qui studio eodem teneantur, agitanda.

Hoc fere consilium est, quod in conficiendo hoc opusculo secutus sum, Auditores, quod ut vobis non potest esse ingratum, quandoquidem quid de lectionibus exspectandum sit, breviter hic expositum conspicitis, ita etiam aliis antiquitatis christianae amantibus et hodiernum Ecclesiarum statum atque ingenium cognoscere cupientibus non plane inutile spero futurum esse. Promovendis augendisque literis operam dare, quam maxime decet personam doctoris academici. Et me spectantem Theologiae, qualis nostris diebus viget, et rerum in ea haud postremo loco habendarum conditionem huius nec poenitet nec pudet suscepti negotii, ut in maiori, quod hac de re emisi, opere (quod ut perficiam, dato mihi quam primum, Deo iubente, otio minusque lectionibus distractus videbo), ita in hoc quoque exiguo libello. Quodsi qui sunt, qui nullam aut non dignam eo labore gratiam referant, permittam hoc illi, cuius potissimum caussam egi gloriamque omnimodo augendam suscepi: qui, ne quid detrimenti capiat sua, quam nunquam interituram esse promisit, Ecclesia in tantis, quibus hodie agitamur, tempestatibus atque procellis omnino providebit. Vos autem,

Auditores, macti estote virtute, sapientia, assiduitate et inter multarum, quae omni tempore iactantur, de rebus christianis sententiarum offensiones et scopulos, divina adiuti gratia et Christo prae ceteris duce, cursum directum ad aeterna et divina omni pectore imbibenda tenete, ut eadem cum aliis quoque, quorum cura vobis olim credenda est, ex aeterno veritatis christianae fonte communicare satis idonei possitis. Quod summum dignitatis fastigium, in quo collocari potest ac debet Theologus christianus, ut magis magisque attingatis, summopere mihi in votis erat hoc in opusculo conscribendo; propterea que aliquos ut inde ad mentes vestras vera pietate imbuendas verique cognitione collustrandas atque ad hanc feliciter nascentem florentemque literarum sedem redundare fructus iubeat, Deum Opt. Max. rogamus humiliter.

D. Berolini d. 20. Martii 1812.

CONSPECTVS HVIVS LIBRI.

PROLEGOMENA.

DOCTRINA CATHOLICORVM ET PROTESTANTIVM.

INDEX RERVM.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

F.

G.

H.

I.

T.

V.

Z.

PROLEGOMENA.



PROLEGOMENA.

§. 1.

Quae una est per se religio christiana, ea deinde, ubi in theologia hominumque societate ecclesiastica foveri exponique coepit, a multis ingeniis multiplici ratione suscepta et multarum sectarum dissensum experta est. Quodsi autem singuli singulis coniuncti christianae religionis mentem eadem ratione assecuti sibi videntur, orthodoxorum nomine sibi vindicato a ceterorum coetu abhorrent, atque ceteris, quibus ipsi heterodoxorum nomine exosi solent esse, rursus hoc ipsum nomen impertiunt.

Vid. diss. Über den Ursprung und die Entwickelung der Orthodoxie und Heterodoxie, in Studien von Daub und Creuzer. III. fasc. 1. p. 68. sqq.

§. 2.

Heterodoxi, suo in genere orthodoxi et in fide sua tenenda constantes, aut, si mavis, orthodoxi quicunque confessione quadam, tanquam communi vinculo, inter se

cohaerent atque religionis christianae doctrinam distincte et definite propositam symbolo stabilito sibi sanciunt. Est autem Symbolum theologica doctrinae christianae expositio, confessionem simul alicuius Ecclesiae aut societatis ecclesiasticae continens, sive eorum religionis capitum recensio, quorum professione Ecclesia aliqua aut secta potissimum discedit ab altera. Sunt Symbola cum publica, tum privatim edita.

Cfr. Suiceri Thesaur. eccles. sub v. συμβ. II. p. 1084. Bingham Origg. ecclesiast. l. x. c. 1. 2. 3.

§. 3.

Ineunte Sec. XVI. quum ex communi stirpe natae christianorum nonnullae familiae divortium facerent, ita, ut et multitudine et doctrina suo in genere insignes exsisterent, dimicari quoque coeptum est acriter de fundamento Ecclesiarum plurium sive de religionis christianae doctrina, quatenus diversa ratione continetur Ecclesiarum Symbolis publicis. Enata inde est Sec. XVII. disciplina, suae confessionis solam veritatem defendens hoc potissimum modo, ut aliarum omnium falsitatem demonstraret. Quod quidem disciplinae genus, Polemices et Theologiae elencticae nomine insignitum, hoc vitio maxime laborabat, non solum, quod nimium quantum solebat extra fines christianae disciplinae egredi, sed etiam, neglecta vera historiae ratione et accuratiori doctrinae adversariorum notitia, omnium aliarum falsitatem non nisi falsa ratione demonstrabat, ad ipsius scilicet doctrinae,

quam profitebatur, veritatem eo melius et facilius tuendam.

Pertinent huc *ex Ecclesia catholica* prae ceteris: Alphonsi de Castro libri XIV. adversus omnes haereses etc. — cum appendice Feuardentii. Paris. 1578. 2 Voll. fol. Roberti Bellarmini Opus de Controversiis christianae fidei adversus huius temporis haereticos. 4 Tomi fol. Opus ab ipsomet auctore nunc demum auctum. Ingolst. 1601. Martini Becani Manuale controversiarum huius temporis. Colon. Agripp. 1697. 8. Franc. Coster Enchiridion controversiarum praecipuarum nostri temporis de religione. Colon. 1612. 8. Adami Burghaberi Theologia polemica, in qua doctrinae catholicorum doctorum adseruntur et haereticorum errores refelluntur. Friburg. 1680. fol. Io. Dezii la foi des Chrétiens et des Catholiques, justifiée contre les Déistes, les Juifs, les Mahometans, les Sociniens et les autres heretiques. Par. 1714. 12. Viti Pichleri Cursus theologiae polemicae universae duab. part. August. Vind. 1719. 4. Viennae Aug. 1753. 8. Gazanigga Theologia polemica. Tom. I. et II. Vien. 1778 et 1779. 8.

Ex Ecclesia Lutherana.

Abrah. Calovii Synopsis controversiarum potiorum, quae Ecclesiae Christi cum haereticis et schismaticis modernis, Socinianis, Anabaptistis, Weigelianis, Remonstrantibus, Pontificiis, Calvinianis, Calixtinis aliisque intercedunt. Vitemb. 1653—1685. 4. Io. Musaei Collegium controversiarum. Ien. 1701. 4. Frid. Bechmanni Theologia polemica. Ien. 1702. cum Io. Franc. Buddei praef. de orig. et causs. errorum in Theologia. 1710. 4. Io. Fabricii Consideratio variarum controversiarum cum Atheis, Gentilibus, Iudaeis, Muhamedanis, Socinianis, Anabaptistis, Pontificiis et Reformatis. Helmst. 1704. 4. Io. Olearii Synopsis controversiarum selectiorum cum hodiernis pontificiis, calvinianis, socinistis, remonstrantibus, fanaticis, cocceianis, et cartesianis, graecis, iudaeis, antiscripturariis s. rationalistis, cum praef. de controv. theologicis. Lips. 1710. 8. Io. Andr. Schmidii Breviarium theologiae polemicae, exhibens praecipuas controversias cum pontificiis, reformatis et socinianis. Helmst. 1710. 8. Io. Georg. Walch Einleitung in die Religionsstreitigk. außer der evang. luth. Kirche. ed. 3. Ien. 1733. 5 Voll. 8. Eiusdem Einleitung in die polemische Gottesgelahrtheit. Ien. 1752. 8. Io. Franc. Buddei Grundsätze der polem. Theol. cum praef. I. G. Walchii. Ien. 1750. 8.

Siegm. Iac Baumgarten kurzer Begriff der theol. Streitigk. ed. Bast. Francof. ad Moen. 1750. 8. Eiusd. Untersuchung theol. Streitigk. mit Anmerk. Vorr. u. einer Gesch. d. Glaubensl. von I. S. Semler. Halle 1762. 3 Voll. 4. Christ. Matth. Pfaff Plan von Grundfragen üb. d. Theologiam polemicam, oder die Religionsstreitigk. Tübing. 1752. 8. Laurentii Reinhardi Theologia polemica. Vimar. 1745. 8. Io. Ern. Schubert Institutt. theol. polem. Ien. et Lips. 1756 — 58. ed. sec. 1760. 4 Voll. 8. Lorenz v. Mosheim Streittheologie der Christen, mit Anmerk. von Christ. Ernst von Windheim. Erlangen 1763 — 64. 3 Voll. 4. Io. Fridr. Gruner Institutt. Theologiae polemicae libri VII (ed. Knapp). Hal. 1778. 8., qui tamen unum maximeque commune Polemices vitium bene perspexit et sollerter evitavit. Nam neque disputationes, inquit, cum Atheis, cum idolorum cultoribus, cum Muhamedanis, cum Iudaeis, cum Deistis, ego quidem Theologiae polemicae terminis contineri, non sine ratione gravi censeo, neque concertationes de opinionibus hominum privatorum. Sectae nominis christiani autem intelligo, quae sunt aetate nostra. Nam docere velle, quo modo disputandum sit contra familias, quarum hodie ne nomina quidem, nisi in historia ecclesiastica, audiuntur, quid foret aliud, quam magno conatu cum mortuis decertare, vivis ludos praebere? p. 3. §. 4.

Ex Ecclesia Reformata.

Io. Henr. Alstedii Theol. polem. Hanov. 1620. 4. Sam. Maresii Theol. elenchticae Synopsis. Groning. 1648. 4. Henr. Alting Theol. elenchtica nova. Amst. 1654. 4. Io. Hoornbeck Summa controversiarum religionis. Trai. ad Rhen. 1689. Francof. ad Moen. 1697. 8. Frid. Spanheim Elenchus controversiarum de religione cum dissidentibus hodie christ. etc. ed. ut novum opus videri possit. Amst. 1701. 8. Opp. T. III. Franc. Turretini Instit. Theol. elenct. Genev. 1682. ed. nova Lugd. Bat. 1696. 3 Voll. 4. Campegii Vitringae Hypotyposis theol. elencht. etc. Herborn. 1715. 8. Salomon van Till πρωτα ψευδη adversariorum. 8. Bened. Pictet Syllabus controvers. Genev. 1711. 12. Dan. Gerdesii Elenchus veritatum, circa quas defendendas versatur Theol. elencht. Groning. 1740. 4. Io. Frid. Stapfer Institutt. Theol. pol. univ. ord. scientifico disposita. Tiguri 1743 — 47. 6 Voll. 8. Wyttenbachii Theol. elencht. initia. Francof. ad Moen. 1763 — 65. 2 Tom. 8.

§. 4.

Exstitit praeterea disciplinae genus, cum ex polemica, tum ex dogmatica Theologia natum, quod in explicando potissimum unius Ecclesiae symbolo versatur eiusque dogmata ac decreta complectitur. Ea singulari sensu Theologia symbolica hactenus appellata est. Verum quum nullo modo per se symbolum aliquod intelligi possit, sed ex antithesi etiam aliorum, quibus illud oppositum est, et ex interna cum his coniunctione rite perspici debeat, sequitur, hanc aliarum Ecclesiarum doctrinam si non prius, tamen simul eademque sollertia esse exquirendam. Quod quamvis penitus neglectum esse dici nequeat, quandoquidem negligi nequit, tamen ea nec accuratius eademque circumspectione haustam ex symbolis aliarum Ecclesiarum doctrinam exposuit, nec ultra fines earum rerum, quas una Ecclesia profitetur, ad reliquas etiam aliarum sententias tradendas progressa est, quae cum illa parum conspicuo vinculo cohaereant; sed aliarum symbola tantum in subsidium vocavit, ad unius nempe cum externam tum internam naturam, mortuam magis, quam viventem, eo melius cognoscendam. Exstitit igitur Theologia symbolica Lutheranorum, Reformatorum, Catholicorum etc.

Vberiorem librorum huc pertinentium, quorum singuli suo loco nobis excitabuntur, notitiam suppeditant I. G. Walch in Bibliotheca theol. selecta. Tom. I. p. 314—444. Iac. Guilelm. Feuerlin in Bibliotheca symbolica evangelica Lutherana. Gott. 1752. 8. et Io. Christoph. Koecher in Bibliotheca Theologiae symbolicae et catecheticae, itemque liturgicae. Guelpherb. 1751. 8.

Ien. 1769. 8. Novissimus huius generis liber et praeclarus admodum est Tittmanni Institutio symbolica ad sententiam ecclesiae evangelicae. Lips. 1811. 8.

§. 5.

Nunc ut alia via incedamus, suadet disciplinae natura et necessitas, hac nimirum, non ut, quemadmodum Polemices fert consuetudo, incognita re aliarum doctrinarum falsitatem damnemus, nec ut in unius Ecclesiae symbolis illustrandis consistamus, quae Theologiae symbolicae ratio est, sed ut, vera historia duce, genuinam et diversam omnium naturam et indolem explicemus. Quae cum Ecclesiarum symbolis maxime contineatur tanquam limpidissimis doctrinae ecclesiasticae fontibus, hoc disciplinae genus Symbolices nomine complectimur. Fontibus vero adnumeranda etiam sunt scripta cum auctorum cuiusdam societatis ecclesiasticae, tum doctissimorum in ea hominum, quatenus ex ingenio alicuius familiae redundare videntur. Deinde ex ipsius principiis dogmaticis, symbolo declaratis, tota dogmatum, de quibus controversia orta est, series simul cum eidem contrariis exponenda est. Est enim Symbolices, discrimina quaeque potissimum enucleare, reliqua vero ipsarum expositionibus relinquere.

Christliche Symbolik oder historisch krit. und dogmatisch comparative Darstellung des kathol. luth. reform. und socinian. Lehrbegriffs, nebst einem Abriss der Lehre und Verfassung der übrigen occidental. Religionspartheyen, wie auch der griech. Kirche. I. II. Theil: System des Katholicismus. Heidelb. 1810. 8.

§. 6.

Ex dogmate porro, quomodo illud ad statum societatis alicuius aut stabiliendum aut commutandum vim exseruerit, intelligi potest; sicuti ad ingenium nonnullarum sectarum, quarum non satis aperta doctrina est, rursus haud parum lucis affert externae conditionis cognitio. Postremo hanc ad disciplinam spectant etiam eorum conatus*, qui concordiae restituendae operam dedere, non solum scriptis irenicis, quae ad polemicen potius referenda sunt, sed re et facto etiam. Quare quid ab utraque parte factum sit ad unitatem reconciliandam, tanquam in appendice, suo loco breviter enarrandum est.

* Stäudlin Kirchliche Geographie und Statistik. Tübing. 1804. 2 Voll. 8. Referri huc etiam quodammodo possit Baumgarten Geschichte der Religionspartheyen, herausgegeb. von I. S. Semler. Halle 1766. 4. Sed exstat unus etiam, qui maxime Symbolices formam et methodum prae se fert, Planckii perutilis libellus, qui inscribitur: Abriſs einer histor. und vergleich. Darstellung der dogmat. Systeme unserer verschiedenen christl. Hauptpartheyen etc. Zweite Aufl. Gött. 1804. 8. Köcher Friedenstheologie oder die Gottesgelahrtheit, welche den Frieden in der Kirche erhält und befördert. Jena 1764. 8. Cfr. Buddei Isagoge histor. theol. ad univ. theol. p. 394. 426. sqq. Walchii Biblioth. theol. sel. I. p. 302 sqq. II. p. 348 sqq.

DOCTRINA
CATHOLICORVM
ET
PROTESTANTIVM.

DOCTRINA CATHOLICORVM ET PROTESTANTIVM.

INTRODVCTIO.

§. 7.

Haurienda Catholicorum doctrina, confessioni Protestantium opposita, potissimum est ex decretis atque canonibus concilii Tridentini, repetitis Protestantium Sec. XVI. et Imperatoris Caroli V. postulationibus, post multam denegationem denique a Paulo III. convocati. Quae quidem Synodus de summis et in controversia positis fidei articulis sententias declaravit ex ingenio Ecclesiae haustas, ab omni fere Ecclesia, etiam Gallicana, receptas et anathematis vinculo munitas. Quibus fontibus accedit etiam Professio fidei et Catechismus Romanus. In subsidium vocandae sunt formulae liturgicae et spectatae auctoritatis inter Catholicos theologorum doctrinae huius expositiones: quam-

quam confundi cum privatorum hominum doctrina non debet publica.

Canones et Decreta Sacros. oecum. et generalis conc. Trid. sub Paulo III, Iulio III, Pio IV, Pontiff. max. Romae ap. Paul. Manutium, Aldi f. 1564. cum privilegio Pii IV Pont. max. fol. — ed le Plat, Antw. 1774. 4. — ed. Io. Gallemart. Aug. Vind. 1746. 8. — Bullarium M. Rom. II. p. 128. Pfaffii Introd. in hist. theol. liter. II. p. 59. Valentini Alberti Examen professionis Trid. 1692. 12. Catechismus ex decreto conc. Trid. ad Parochos, Pii V Pont. m. iussu editus. Lugd. 1567. 8. Fra Paolo (P. Sarpi) Histoire du concile de Trente ed. le Courayer. Lond. 1736. fol. Amst. 1736. 4. Bas. 1738. 2 Voll. 4. Sfortiae Pallavicini Istoria del concilio di Trento. Rom. 1656. 2 Voll. fol. lat. Antw. 1670. 3 Voll. Salig vollständ. Historie des Tridentin. Conc. 3 Voll. 4. Hal. 1741. — System des Katholicismus. I. p. 132 sqq. II. p. 54 sqq. 95 sqq. 116 sqq. Iac. Benign. Bossuet Doctrinae catholicae de eis argumentis, de quibus controversiae sunt, expositio ed. Magn. Crusius. Gott. 1736. 4. Veronii regula fidei catholicae ad calc. Walenburch. fratr. Tract. spec. de controv. fidei. Colon. Agr. 1670. fol. Melch. Cani Loci theologici, libri XII prima ed. Salmantic. 1563. fol. in Opp. cum praef. Hyacinthi Serry. Patav. 1714. 4. Io. Christoph. Köcher abgenöth. gründl. Beweis, dafs man die Glaubenslehren der Römisch catholischen aus ihren allgem. liturg. Büchern beurtheilen und erweisen könne. Braunschw. u. Hildesh. 1747. 4. Eiusd. Biblioth. symb. c. 3. p. 747 sqq. — Payvae Andradii Orthodoxarum explicationum de controversis religionis capitibus libri X. Colon. 1564. 8. Rob. Bellarmini Disputatt. de controv. christ. fidei adv. huius temp. haereticos. 3 Tomi. Ingolst. 1587. 9 Voll. 8. — Io. Ad. Scherzer Antibellarminus. Lips. 1681. 1703. 4. Guilelm. Amesii Bellarminus enervatus. Amst. 1679. 4 Voll. 12. Mart. Chemnitii Examen concil. Trid. ed. nova I. Chr. Iohannis. Francof. ad Moen. 1707. 4 Partes, 1 Vol. fol. Heidegger Conc. Trid. Anatome hist. theol. Tiguri 1672. 8. Paul. Antonii Conc. Trid. adeoque et Pontificia doctrina publ. Hal. 1697. 8. 1713. 8. Io. Gerhardi Confessio catholica, in qua doctrina catholica et evangelica, quam Ecclesiae Augustanae confessioni addictae profitentur, ex romano-catholicorum scriptorum suffragiis confirmantur, in 4 Partes distrib. Francof. et Lips. 1679. fol. Ge. Calixti Consideratio doctrinae pontificiae, iuxta decretum conc.

Trid., et reformatae, iuxta ductum confessionis Thorani Boruss. a. 1645 exhibitae. Helmst. 1659. 1672. 4.

§. 8.

Protestantium contra Symbola universaliora haec sunt: I. Augustana confessio, II. Eiusdem Apologia. III. Articuli Smalcaldici. IV. Catechismus Lutheri maior et minor. V. Formula concordiae. Ad intelligendam reformationis et purioris doctrinae mentem adeunda sunt etiam Reformatorum ipsorum aliorumque doctissimorum ex coetu Lutherano hominum scripta. Est tamen illorum symbolorum prorsus alia ratio ad Protestantium Ecclesiam, quam Catholicorum ad suam. Iudicis enim divini auctoritate non gaudent, sed doctrinae de rebus divinis humanae, liberum servant cuicunque iudicium, nec ullo modo, nisi S S. eiusque sana interpretatione circumscriptum, nec ad formandas ex illis singulas dogmatum formas, sed ad cognoscendam inde et amplectendam indolem publice proposita sunt et constituta, tanquam coetus euangelici mens et ingenium veritatisque euangelicae testimonium. Quo igitur potissimum consilio constituta publice symbolis doctrina tradita sit, defensa atque probata, multo magis spectandum, quam quibus doctrinae rationibus et argumentorum formis.

„Sola sacra Scriptura iudex, norma et regula cognoscitur, ad quam, ceu ad Lydium lapidem, omnia dogmata exigenda sunt et iudicanda, an pia, an impia, an vera, an vero falsa sint. Cetera autem symbola et alia scripta non obtinent auctoritatem iudicis; haec enim dignitas solis sacris literis debetur; sed duntaxat pro religione nostra testimonium dicunt eamque explicant ac

ostendunt, quomodo singulis temporibus sacrae literae in articulis controversis in Ecclesia Dei a doctoribus, qui tum vixerunt, intellectae et explicatae fuerint et quibus rationibus dogmata, cum S. S. pugnantia, reiecta et condemnata sint." Form. Conc. Epitome p. 572. Liber Concordiae editus est a Rechenbergio, cum append. tripart. Lips. 1677, Pfaffio, Tubing. 1730, Baumgartenio, germ. Hal. 1747, Walchio, germ. et lat. Ien. 1759, et Mich. Webero, cuius editionis singulae partes hactenus prodiere. Salig Historie der Augsb. Conf. Halle 1730—35. 3 Voll. 4. Weber crit. Gesch. der Augsb. Conf. 1783. 2 Voll. 8. Planck Gesch. d. protestant. Lehrbegr. III. P. I et II. Anton Gesch. der Concordienformel. 2 Voll. 1779. 8. — Baumgarten Erläuterung der im christl. Concordienbuch enth. symb. Bücher. Halle 1747. 8. ed. 2 Halle 1761. Bernh. v. Sanden Theologia symbolica Lutherana. Lips. 1688. Ioh. Hülsemanni Praelectt. in librum Concordiae cum Patrologia. Lips. 1679. Ioh. Ben. Carpzovii Isagoge in libros Eccles. Luth. symbolicos. ed. 3. Lips. 1699. Ioh. Ge. Walchii Introductio in libros symbolicos Eccles. Luther. Ien. 1732. I. H. Maji Synopsis theol. symbol. ord. system. ed. 2. Giess. 1720. Christ. Frid. Boerneri Institutt. Theol. symbol. Lips. 1751. Christ. Guilelm. Franç. Walchii Breviarium Theol. symb. Eccles Luther. Gott. 1765. I. S. Semleri Apparatus ad libros symb. Eccles. Luther. Hal. 1775. 8. I. G. Wald Theol. symb. Luther. descriptio. Hal. 1786. 8. I. L. Schulze Handbuch der symbol. Theologie. Halle 1790. Mich. Weberi Prolusiones duae academ. Epilegomena editionis Confess. August. et Confut. pontif. ex cod. Dessaviensi. 1810. 4. Io. Aug. Henr. Tittmanni Institutio symbolica ad sententiam Ecclesiae evangelicae. Lips. 1811. 8. — Corpora Doctrinae: Philippicum, germ. et lat. 1560. Planck Gesch. d. prot. Lehrb. V. 2. p. 526 sqq. Pomeranicum, in Synodo Sedinensi a. 1561 editum. Runge Bericht vom Pommerischen corpore doctrinae in Eiusd. Fragartikeln vom Sacr. d. h. Abendm. Greifsw. 1591. 4. Dan. Cramers Pommerische Kirchenhistorie. III. c. 36. Prutenicum, ed. Regiom. 1567. Hartknoch Preufs. Kirchenhist. l. II. p. 428. Thuringicum, ed. Ien. 1571. Brandenburgicum, 1572. Salig Hist. d. Augsb. Conf. l. IV. c. 1. Henr. Schmid Brandenburg. Kirchenhist. §. 95 sqq. Wilhelminum, ed Vlsenae 1576. Iulium, 1576. Rehtmayer Braunschweig. Kirchenhist. III. Abth. 3, c. 8 sqq. — Luthers sämmtliche Schriften, herausgeg. von I. G. Walch. Halle 1740 sqq. 24 Theile. 4. Melanchthonis

Loci

Loci communes, prima ed. Viteb. 1521. Strobel Literargesch. von Melanchthons Locc. theol. Nürnb. 1782. Meyer Comment. libror. symb. Eccles. nostrae utilitatem et hist. subscript. eorundem exponens. Gott. 1797. 4. Cfr. Walchii Biblioth. theol. sel. I. p. 315 sqq. Feuerlin Biblioth. symb. evang. Luther. p. 44 sqq.

§. 9.

Sunt autem quaedam Theologiae christianae capita, de quibus nulla est inter Catholicos et Protestantes controversia. Quorum quidem summa cum decisionibus oecumenicorum conciliorum Sec. IV. et V. tum symbolo triplici, Apostolico, Nicaeno, Athanasiano continetur. Igitur eorum auctoritas et in Ecclesia Catholicorum et Protestantium, quamquam non eadem ratione ex eademque caussa, viget. Et hanc priscam Ecclesiae fidem professi sunt Evangelici, ne a catholica Ecclesia et doctrina decessisse viderentur. Propterea primum non sine reluctatione Romanam Ecclesiam sinebant vocari catholicam. Vindicato sibi Catholicorum nomine et significatione tamen Protestantes postea appellati sunt. Lutheri enim qui consiliis et doctrinae Evangelii restituti favebant ordines imperii, proptereaque Evangelici dicti erant, quum in comitiis Spirensibus a. 1529 ab edicto edito, ne quid amplius in religione mutarent, appellationem professi et dissensum constanter testati essent, inde Protestantes vocati sunt.

Gerh. Io. Vossii de tribus symbolis dissertt. Amstel. 1642. 4. 1662. 4. Pet. King Hist. symboli apostolici cum observatt. ecclesiast. et crit. ad sing. eius articulos. 1706. 8. Iac. Vsserii de romanae Ecclesiae symbolo apostolico vetere aliisque fidei formulis, tum ab occidentalibus tum ab orientalibus in prima catechesi et

baptismo proponi solitis. Lond. 1647. 4. Oxon. 1660. 4. Bingham Origg. ecclesiast. l. X. c. 3, 4. Io. Rud. Kiefslingii Historia de usu symbolorum, potissimum apostolici, nic. const. et athanas. in sacris tam veterum, quam recentiorum publicis. Lips. 1753. 8. Io. Pearsonii Expositio symb. apost. Primum anglice Lond. 1659. 4. Suiceri Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum expositum et ex antiquitate ecclesiast. illustratum. Trai. ad Rhen. 1718. Ge. Bullii Defensio fidei Nicaenae. Oxon. 1687. 4. Bernh. de Montfaucon diss. in Symbolum Quicunque, in Opp. S. Athanasii II. p. 719—738. Muratorii diss. de auctore symboli Quicunque, in Anecdotis II. p. 217—231. Quesnellii diss. 14. in Opp. Leon. M. Tittmanni Institutio symb. p. 62 sqq. — Excitantur tria symbola oecumenica: Apostolicum in Catechismo minori p. 370 sqq. ed. Rechenb. in maiori p. 489. Art. Smalc. P. I. art. 4. p. 303. Nicaenum in Conf. August. art. 1. p. 9. Athanasianum s. Quicunque in Art. Smalcald. P. I. art. 4. p. 303. Tria simul in Form. Conc. Epit. prooem. n. 2. p. 571. Solida declar. n. 2. p. 632. — Jo. Joachim Müller von der evangelischen Stände Protestation und Appellation. Jena 1705. p. 18 sqq. Hortleder von den Ursachen des deutschen Krieges. l. 8. c. 1 sqq. Seckendorf hist. Lutheranismi. l. II. c. 42. Sleidan Commentarii de statu relig. et reip. Carolo V Caes. l. VI. p. 376 ed. Am Ende. Planck Gesch. d. prot. Lehrb. II. p. 352 sqq.

PARS PRIOR S. VNIVERSALIS.

CAP. I.

DE NOTIONE ECCLESIAE.

§. 10.

Locum de Ecclesia Synodus Tridentina nusquam decreto explanavit, quandoquidem ex ipsa Ecclesiae auctoritate loqui maluit, quam de hac primum quaerere. Est autem Ecclesia, sensu catholico, non solum regnum Christi et religionis sanctitatisque, sed etiam externa, visibilis per Christum ordinata societas, tanquam schola, docendae et promovendae religionis christianae causa a Deo instituta. Ex mente Protestantium Ecclesia est congregatio sanctorum, in qua Evangelium recte docetur et recte administrantur Sacramenta. Catholicis itaque institutum est, per quod religio conservatur et in animis hominum nutritur; Protestantibus contra recte credentium societas, in qua religio conservatur per Spiritum S. Illis necessario visibilis est Ecclesia et externa, ita, ut et improbi mixti cum probis et iustis in Ecclesia vivant; his contra malorum nulla Ec-

clesia est: imo mortua membra sunt Christi; Ecclesia non potest non esse sancta. Itaque ut multo latius patet Catholicorum, ita multo altior est Protestantium Ecclesia.

„Vt unico verbo haec res tota absolvatur, Ecclesia, ut ait S. Augustinus, est populus fidelis per universum orbem dispersus." Catech. rom. P. I. Qu. 2. p. 75. Sed multa est in voce fidelis ambiguitas. Cfr. Launoii Epist. l. 8. ep. 13. Melch. Cani Locc. th. l. IV. c. 2. p. 112.

August. Conf. p. 11. ed. Rechenb. „Ecclesia non est tantum societas externarum rerum ac rituum, sicut aliae politiae, sed *principaliter* est societas fidei et Sp. S in cordibus, quae tamen habet externas notas, ut agnosci possit, videlicet puram Evangelii doctrinam et administrationem Sacramentorum, consentaneam Evangelio Christi. — Quare illi, in quibus nihil agit Christus, non sunt membra Christi." Apologia August. Conf. p. 144 sqq. „In Decretis inquit glossa: Ecclesiam large dictam complecti bonos et malos. Item, malos nomine tantum in Ecclesia esse, non re, bonos vero re et nomine. Et in hanc sententiam multa leguntur apud Patres." Apol. p. 146.

§. 11.

Sequitur inde, quemadmodum etiam visibilis Ecclesia Catholicorum a Deo per Christum instituta est, ita omnium temporum Ecclesiam inspiratione Dei gaudere, eademque qua sacros auctores et Apostolos. Huius revelationis divinae auctoritas, quae penes Ecclesiam est, omni ratione tanto superior est, quanto fides maior est omni scientia; propterĕaque religionis christianae summa, Ecclesiae credita et Catholicorum fide suscepta, perfici nulla ratione potest, ita, ut decrementum patiatur, aut augmentum capiat. Ita quidem Catholicorum doctrina de Ecclesia externa praedicat, quae Protestantium de interna sola et ratione,

non de unius vel alterius hominis, sed de aeterna et obiectiva.

Vincent. Lirin. commonitor. c. 26. ed. Klüpfel. p. 195. c. 28. p. 202 sqq. Muratorii de ingeniorum moder. l. I. p. 31 sqq. Catechismus romanus P. I. c. 2. qu. 3. c. 10. qu. 18. pag. 131. „Cum finis, qui ad beatitudinem homini propositus est, altior sit, quam ut humanae mentis acie perspici possit, necesse ei erat, ipsius a Deo cognitionem accipere. Haec vero cognitio nihil aliud est, nisi fides, cuius virtus efficit, ut id ratum habeamus, quod a Deo traditum esse sanctissimae matris Ecclesiae auctoritas comprobavit: nulla enim fidelibus potest accidere dubitatio in iis, quorum Deus auctor est, qui est ipsa veritas." Cat. rom. P. I. c. 1. System des Katholicism. II. p. 147 sqq.

§. 12.

Negat utraque pars, alterius esse veram Ecclesiam. Se tamen veram esse, ceterasque vere nullas, ex unitate, universalitate et antiquitate sua probare studet Ecclesia catholica: quae quidem omnis verae Ecclesiae signa nulli alii competere docet. Inde nomen catholicae accepit inde a Sec. II. Protestantes eadem de sua Ecclesia praedicant, consentientes de re ipsa eiusque necessitate. Christo enim regnante nunquam non unam esse internam credentium ac sanctorum congregationem (quamquam non necesse sit, ubique similes esse traditiones humanas, aut ritus seu caerimonias ab hominibus institutas); late patere et propagari in dies unum Dei verbum, antiquam esse et eandem semper in confessione sanctorum Evangelii doctrinam. Hoc externum Protestantibus verae Ecclesiae signum est, ut recte praedicetur verbum Dei, riteque administrentur sacra.

Eph. 5, 25. Imo hanc veram Ecclesiam Protestantes non semper inesse Ecclesiae illi docent, quae catholicae nomine usa est, et iure ex iustaque causa hoc nomen competere illi, quae eodem gloriatur, negant. De notione nulla lis: ex historiis repetenda et probanda res est.

Suiceri Thesaur, eccles. s. v. καθολ. „Prima igitur proprietas in Symbolo Patrum describitur, ut una sit." Catech. rom. l. c. qu. 10. p. 123. „A solis ortu usque ad occasum unius fidei splendor diffunditur. Neque enim ut in humanis rebus publicis aut haereticorum conventibus unius tantum regni terminis aut uno hominum genere Ecclesia definita est, verum omnes homines, sive illi barbari sint, sive Scythae, sive servi, sive liberi, sive masculi, sive foeminae charitatis sinu complectitur." Catech. rom. qu. 13. p. 128. „Ex origine etiam, quam revelatâ gratiâ ab Apostolis ducit, Ecclesiae veritatem agnoscimus: siquidem eius doctrina veritas est non recens, neque nunc primum orta, sed ab Apostolis iam olim tradita et in omnem orbem terrarum disseminata." Cat. rom. l. c. qu. 14. p. 129. Vinc. Lir. c. 3. p. 92.

„Ad veram unitatem Ecclesiae satis est consentire de doctrina Evangelii et administratione Sacramentorum. Nec necesse est ubique esse similes traditiones humanas, s. ritus et ceremonias, ab hominibus institutas." Aug. Conf. p. 11. Apol. p. 152. „Catholicam ecclesiam dicimus, ne intelligamus, Ecclesiam esse politiam externam certarum gentium. Sed magis homines sparsos per totum orbem, qui de evangelio consentiunt et habent eundem Christum, eundem Sp. S. et eadem sacramenta, sive habeant easdem traditiones humanas, sive dissimiles." Apologia p. 146. „Nequaquam largimur ipsis, quod sint Ecclesia, quia revera non sunt Ecclesia. Non etiam audiemus ea, quae nomine ecclesiae vel mandant, vel vetant. Nam (Deo sit gratia) puer septem annorum novit hodie, quid sit Ecclesia, nempe, credentes, sancti, oviculae audientes vocem pastoris sui. Sic enim orant pueri: credo sanctam Ecclesiam catholicam sive christianam. Haec sanctitas non consistit in amiculo linteo, insigni verticali, veste talari et aliis ipsorum ceremoniis, contra sacram scripturam excogitatis, sed in verbo Dei et fide." Art.

Smalc. p. 335. Walchii Breviar. Theol. symb. p. 85 sq. Tittmanni Institutio p. 110 sq.

§. 13.

A Deo constituta et adornata visibilis Ecclesia magna etiam auctoritate gaudet, primumque hac virtute, ut in rebus ad fidem pertinentibus errare nequeat. Errori enim obnoxia non potest esse, quandoquidem Christus illi Sp. S. promisit eaque ad conservandam ipsam Evangelii doctrinam erecta est pietatis sanctitatisque schola. Infallibilitatem autem doctrina etiam Protestantium largitur, ubi de interna sanctorum congregatione dicitur: de externa vero quacunque constanter negat.

Conc. Trid. Sess. IV. decr. de edit. et usu sacr. libr. p. 10. ed. Aug. Vind. 1746. 8. — Professio fid. ad calc. ed. le Plat. p. 22. „Quemadmodum haec una ecclesia errare non potest in fidei ac morum disciplina tradenda, cum a Sp. S. gubernetur." Catech. rom. l. c. qu. 15. p. 129. Du Pin de antiqua Ecclesiae disciplina diss. V. p. 339. ubi contra Papae infallibilitatem copiose disputat. Thomas Freykirch (Werkmeister) freymüthige Untersuchungen über die Unfehlbarkeit der kath. Kirche. Frankf. und Leipz. (Göttingen) 1792. I. 8. (Blau) Krit. Gesch. d. kirchl. Unfehlbarkeit zur Beförd. einer freyeren Prüfung d. Katholicismus. Frkf. a. M. 1791. 8.

§. 14.

Denique extra Ecclesiam catholicam nullam esse salutem asseritur. Quod quidem Ecclesiae dogma non ad haereticos, qui vocantur, materiales, sed ad formales potissimum spectat. Inde sequitur circumscripta docendi libertas, liberioris ingenii depressio, haereticorum exsecratio et persecutionis charitas. Protestantes quidem in

eo consentiunt, quod nullam esse extra religionem, internamque Christi Ecclesiam salutem docent, id autem nec de sua, nec ulla alia externa societate praedicare audent: quae enim inde sequi solent, ex animo detestantur.

„Vt fides nostra catholica, sine qua impossibile est, placere deo etc." Sess. V. Decr. de pecc. orig. p. 12. „Catholica fides, extra quam nemo salvus esse potest etc." Prof. fid. l. c. Catech. rom. l. c. qu. 1. qu. 15. „Vniversalis etiam ob eam causam dicitur, quod omnes, qui salutem aeternam consequi cupiunt, eam tenere et amplecti debeant, non secus ac qui arcam, ne diluvio perirent, ingressi sunt." Catech. rom. art. 9. qu. 13. Cfr. System d. Katholicism. II. p. 170 sqq.

Aug. Conf. art. II. p. 10. „Certissimum enim est, quod promissio salutis pertinet etiam ad parvulos. Neque vero pertinet ad illos, qui sunt extra ecclesiam Christi, ubi nec verbum nec sacramenta sunt, quia regnum Christi tantum cum verbo et sacramentis existit." Ita scripsit Melanchthon in Apol. p. 156.

CAP. 2.

DE REPRAESENTATIONE ECCLESIAE.

§. 15.

Ipsa Ecclesiae idea, ex mente Catholicorum exposita, postulat, ut visibili quadam ratione conspici repraesentarique possit. Secundum autem ipsius Dei institutum non idem omnium in Ecclesia dignitatis gradus, eademque virtus idemque officium, sed alterius regimen, alterius obsequium est. Regnantes corpus quasi Ecclesiae constituunt. Sequitur inde hierarchicus ordo, tum a laicis remotus, tum suo in genere muneris di-

gnitatisque gradu diversus, cuius culmen episcopatus est. Non solum autem ministerium ecclesiasticum Christus constituit, sed omni quoque vi et auctoritate ad regendam Ecclesiam necessaria illud instruxit. Episcopi igitur successores apostolorum, sacerdotes indelebili charactere praediti, Ecclesiae ad leges ferendas et iudicandum constituti praesules, quibus Christus tradidit claves regni coelestis, potestatem ligandi et remittendi, in concilio generali congregati summum Ecclesiae tribunal.

„Praeter ceteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere et positos esse — a Sp. S. regere ecclesiam dei eosque presbyteris superiores esse", statuit Syn. Trid. Sess. 23. c. 4. de ord. „Si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit." Sess. 23. cap. 6. — „Ecclesiae nomine quoque eius Praesides ac Pastores significantur. Si te non audierit, inquit Christus, dic Ecclesiae; quo in loco Praepositi Ecclesiae designantur." Catech. rom. P. I. art. 9. qu. 9. System d. Katholicism. II. p. 280 sqq.

§. 16.

Quos inter primus et summus est Pontifex maximus, Romanus episcopus, Papa, de cuius primatu, potestate et iurium limitibus magna est inter ipsos Ecclesiae catholicae Theologos controversia. Omnem enim modum excedente illius potestatis usu, dici vix potest, quantum et episcoporum iura et Ecclesiae salus detrimenti ceperint. Petrum Apostolorum principem esse, Romanumque episcopum eius successorem, ab omnibus conceditur. Et visibile caput Ec-

clesiae, ut invisibile Christus, est. Ecclesiarum omnium mater et magistra Romana putatur, eiusque episcopus centrum unitatis Ecclesiae; e cathedra in concilio generali loquens ipsam Ecclesiam repraesentat. Inter illius autem iura bene distinguenda adventitia et humana ab essentialibus et divinis; item suprematus ordinis et iurisdictionis, qui quidem nostris temporibus arctis admodum limitibus circumscriptus est.

Supremam in Ecclesia universa potestatem romano pontifici traditam esse, docet Trid. Syn. Sess. 14. decr. de poenit. Cfr. Sess. 13. dec. 2. c. 8. „Sanctam catholicam et apostolicam romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, romanoque Pontifici b. Petri, Apostolorum Principis, successori ac Iesu Christi vicario veram obedientiam spondeo et iuro." Prof. fid. „Vnus est etiam eius rector ac gubernator, invisibilis quidem Christus, quem aeternus Pater dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus eius; visibilis autem is, qui Romanam cathedram Petri Apostolorum Principis legitimus successor tenet." Catech. roman. l. c. qu. 10. „De eo fuit illa omnium patrum ratio et sententia consentiens, hoc visibile caput ad unitatem Ecclesiae constituendam conservandam necessarium fuisse." l. c. qu. 11. cfr. P. II. c. 7. qu. 24. Defensores curiae et sedis romanae sunt imprimis Pallavicini, Bellarminus, Baronius, Zaccaria, Mamachi, Orsi, Barruel, alii. Episcoporum iura tuentur praecipue omnes fere Ecclesiae gallicanae Theologi et episcopi, Natal. Alexander, Bossuet, Richerius, Launoius, Febronius, aliique germani. V. prae ceteris Iusti Febronii Icti de statu Ecclesiae et legitima potestate pontificis etc. Bullioni (Francof. ad Moen.) 1763. 4. 1770—74. 4 Voll. 4. Planck Geschichte des Papstthums. Moniteur 1810. 18. Fevrier. No. 49. Bossuet Defensio declarationis celeberrimae, quam de potestate ecclesiastica sanxit Clerus Gallic. Luxemb. 1730. 4., novissima editio est Bamberg. 1809. System des Katholicismus. II. pag. 319—426.

§. 17.

Protestantes, cum de Ecclesiae natura et regno longe aliter sentiant, longius etiam discedunt hoc in articulo, qui de visibili Ecclesiae potestate est. Ministerium enim ecclesiasticum, sub uno invisibili capite, Christo, constitutum est ad praedicandum verbum Dei et administranda sacra; omnis eius vis et auctoritas spiritualis est et interna, nempe per plenitudinem potestatis veritati et evangelio inhaerentis. Nullum Ecclesiae in rebus fidei externum tribunal nec in rebus civilibus forum ecclesiasticum est. Instrumenta Ecclesiae sunt ministri, non repraesentantes; obedientes, non imperantes; duces mundi ad vitam aeternam, propterea que vi instructi excommunicandorum malorum, absolvendorum conversorum, neque tamen ulla ratione a laicis diversi, nisi maiori pietatis, sapientiae integritatisque studio. Reliqua, non ad sacra ipsa administranda spectantia magistratibus civilibus relinquenda; non enim ex iure divino doctoribus Ecclesiae competunt.

„Sic autem sentiunt, potestatem clavium sive potestatem episcoporum iuxta Evangelium, potestatem esse s. mandatum Dei praedicandi Evangelii, remittendi et retinendi peccata et administrandi sacramenta. Io. 20, 21 sqq. Marc. 16, 15." Aug. Conf. p. 38. „Quapropter Ecclesia nunquam melius gubernari et conservari potest, quam si omnes sub uno capite, quod est Christus, vivamus, et episcopi omnes, pares officio (licet dispares sint quoad dona) summa cum diligentia coniuncti sint unanimitate doctrinae, fidei, sacramentorum, orationis, et operum caritatis etc. sicut S. Hieronymus scribit, sacerdotes Alexandriae communi opera gubernasse Ecclesias. Et Apostoli idem fecerunt, ac postea omnes episcopi in toto orbe christiano, do-

nec Papa caput suum super omnes attolleret. Haec doctrina praeclare ostendit, Papam esse ipsum verum Anti Christum etc." Act. Smalc. p. 314. De potestate et primatu Papae tractatus l. c. p. 340. De potestate et iurisdictione episcoporum l. c. p. 351. „Et placet nobis vetus partitio potestatis in potestatem Ordinis et potestatem Iurisdictionis. Habet igitur episcopus potestatem ordinis, hoc est, ministerium verbi et sacramentorum, habet et potestatem iurisdictionis, hoc est, auctoritatem excommunicandi obnoxios publicis criminibus et rursus absolvendi eos, si conversi petant absolutionem. Neque vero habent potestatem tyrannicam, hoc est, sine certa lege, neque regiam, hoc est, supra legem, sed habent certum mandatum, certum verbum Dei, quod docere, iuxta quod exercere suam iurisdictionem debent." Apol. p. 294. Cfr. Art. Smalc. p. 330. 333.

„Ego Philippus Melanchthon supra positos articulos approbo, ut pios et christianos. De pontifice autem statuo, si evangelium admitteret, posse ei, propter pacem et communem tranquillitatem Christianorum, qui iam sub ipso sunt et imposterum sub ipso erunt, superioritatem in episcopos, quam alioqui habet iure humano, etiam a nobis permitti." Art. Smalc. p. 338. Cfr. Camerarii Vita Melanchthonis ed. Strobel. p. 121 sqq. „Itaque cum potestas ecclesiastica concedat res aeternas et tantum exerceatur per ministerium verbi, non impedit politicam administrationem, sicut ars canendi nihil impedit politicam administrationem. Nam politica administratio versatur circa alias res, quam Evangelium. Magistratus defendit non mentes, sed corpora et res corporales, adversus manifestas iniurias, et coercet homines gladio et corporalibus poenis, ut iustitiam civilem et pacem retineat." Aug. Conf. p. 38. „Secundum Evangelium seu, ut loquuntur, de iure divino nulla iurisdictio competit episcopis, ut episcopis, hoc est, his, quibus est commissum ministerium verbi et Sacramentorum, nisi remittere peccata." l. c. p. 39.

Planck Gesch. d. prot. Lehrb. IV. p. 40 sqq. I. H. Boehmer ius eccles. Protest. Hal. 1738. ed. 4. 5 Voll. 4. L. I. tit. 11. 12 sqq.

CAP. 3.

DE CANONE LITERARVM SACRARVM.

§. 18.

Christianae religionis cognitio canone nititur sacrae scripturae, quem quidem ex Ecclesiae auctoritate pendere Catholici contendunt. Perfectus quidem is sua ipsius natura et finibus absolutus et immutabilis, verum non sufficiens ad religionem Christi cognoscendam in Ecclesia catholica perhibetur. Propterea alterum etiam cognitionis fontem aperit, qui quidem Traditio est sive religionis non scripta doctrina. Nec Protestantium disciplina omne traditionis genus respuit, quum sincerae et probabilis historiae magna sit apud illos auctoritas. Illam autem Catholicorum, quae iure quodam Ecclesiae nitatur, deinde, cui eadem, quae scripturae debetur, auctoritas tribuatur, porro, quae, neglecta omni critices negotio, qualiacunque suscipiat tanquam a Christo et Apostolis tradita, quae denique interpretationem ipsam sacrarum literarum contineat, tantum abest, ut venerandam concedant, ut tanquam admodum perniciosam repudiandam fugiendamque esse arbitrentur.

„Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, perspiciens, hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu S. dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt: orthodoxorum patrum exempla secuta — traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu S. dictatas et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis

affectu ac venerantia suscipit et veneratur." Sess. IV. decr. 1. „Si quis autem — traditiones praedictas sciens et prudens contemserit, anathema sit." l. c. „Apostolicas et ecclesiasticas traditiones uti quasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector." Prof. fid. „Nec eam (Sacram Scripturam) umquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor." Prof. fidei. „Omnis doctrinae ratio, quae fidelibus tradenda est, verbo Dei continetur, quod in scripturam traditionesque distributum est." Cat. rom. Praef. qu. 12. Bellarm. Controv. Gen. 1. l. IV. de verbo Dei non scripto c. 3. Tom. I. p. 253. Bossuet expos. doctr. cath. c. 18. p. 91. „Non omnia, quae ad doctrinam christianam pertinent, in literis sacris expressa sunt. Nam perpetuam b. Mariae Virginitatem, descensum Christi ad inferos, Baptismum parvulorum, conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, processionem Sp. S. ex Filio, trium personarum in una substantia aequalitatem, earundem per relativas proprietates distinctionem non ita expressa in libris canonicis invenies, sed adeo tamen certa in fide sunt, ut contrariorum dogmatum auctores Ecclesia haereticos iudicaverit." Melch. Cani Locc. theol. l. III. c. 3. p. 91. Syst. d. Kath. II. p. 183 sqq. Cfr. dissertatio: Über den wahren Sinn der Tradition im kathol. Lehrbegr. In Studien herausgeg. von Daub und Creuzer. IV. 2. p. 320 sqq. Io. Dallaei de usu Patrum ad ea definienda religionis capita, quae sunt hodie controversa. Genev. 1655. 4. Matth. Scrivenerii Apologia pro S. Ecclesiae Patribus adversus Io. Dall. Londini. 1672. 4.

Aug. Conf. p. 13. 30. Apologia p. 205 sqq. Art. Smalc. p. 337.

§. 19.

Magnum intercedit inter ipsa hagiographa discrimen nec eadem auctoritas omnium est, quae sacro volumine continentur. Canonicae enim scripturae non sine ratione ab apocryphis distingui solebant ex antiquissimis Ecclesiae temporibus. Earum autem literarum, quas codex noster sacer complectitur, discrimen a catholica Ecclesia sublatum est, ita, ut eis, quae apud Prote-

stantes tanquam apocrypha circumferuntur, canonicam auctoritatem ex mera sua auctoritate tribuerit. Nititur itaque Catholica religionis cognitio primum haud sola scripturae sacrae auctoritate, si quidem traditiones etiam admittit, deinde pluribus etiam, ac Protestantium doctrina, testimoniis ac praesidiis, ex sacra Scriptura petitis. Multo igitur latius patet doctrinae catholicae ambitus; Protestantium vero doctrina quatenus illi opponitur, duplex est, primum omnino negativa, quae Catholici aliunde, quam ex divinis canonicisque scripturis probare solent, prorsus repudians; deinde refellens, sive suam sententiam sanioremque doctrinam ex solis S. S. desumens atque probans.

„Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit Synodus, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti. Testamenti veteris quinque Moysis etc." Sess. IV. decr. de canon. scriptur. „Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit." l. c.

Conc. Carth. can. 47. ap. Mansi Conciliorum ampliss. collectio III. p. 891. Augustin. de doctr. christ. l II. c. 8. de civit. Dei l. XV. c. 3. Contra Faust. l. XXII. c. 79. Bossuet exposition de la foi cathol. p. 182. Jahn Einleitung in die göttl. Schriften des alten Bundes. 2te Aufl. I. p. 119 sqq. Augusti Einleitung ins a. T. p. 55. Io. Raynaldi Censura libror. apocryphor. V. T. advers. Pontificios, impr. Rob. Bellarm. Openh. 1611. 2 Voll. 4. Gerhard Locc. theol. II. p. 134 sqq.

§. 20.

Versionem latinam, quae Vulgata nuncupatur, solam eandemque ut authenticam admisit et approbavit Ecclesia catholica, nempe

ad usum ecclesiasticum, ad dirimendas de religione controversias, ad publice denique citanda scripturarum sacrarum loca. Nec destituta quibusdam rationibus hoc effecit Tridentina Synodus. Qua tamen abs re ita dissentit Protestantium coetus, ut non solum omnes omnium terrarum Ecclesias admoneat, ut vernaculis versionibus utantur, quibus quam facillime aditum sibi parare possint ad s. scripturae intelligentiam, verum etiam doctioribus graecum et hebraicum N. et V. T. textum necessario adeundum esse praecipiat. Ceterum literarum sacrarum versiones et in Ecclesia catholica admittuntur nec probari satis idoneis ex historia testimoniis potest, ipsam Ecclesiam catholicam vetuisse, ne quis versionibus vernaculis uteretur.

a „Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur: et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat." Sess. IV. decr. de edit. et usu sacr. libr. Cfr. Sess. 22, decr. de sacrif. missae c. 8. Richard Simon Hist. crit. du v. Test. l. 2. chap. 14 ubi quonam potissimum sensu vulgata sit authentica appellata, disquiritur. Cfr. Melch. Canus, qui editionem authenticam dicit θεοπνευστον. Locc. theol. I. II. c. 14. p. 65 sqq. Alii *authenticam* editionem volunt esse *optimam* ut inter alios Du Pin Dissertat. prélim. sur la Bible I. 7. 3. Calmet Biblische Untersuch. V. p. 284. Bianchini Praefat. ad. I Tom. Vindiciar. canonicar. scripturar. p. 28.

Chemnitii Examen conc. Trid. I. p. 58 sqq. Walch krit. Untersuchung vom Gebrauch der heil. Schrift unter d.

altera

ältern Christen in den ersten vier Jahrh. Leipz. 1779. 8. Hegelmaier Gesch. d. Bibelverbots. Ulm 1783. 8. Leander van Ess Auszüge aus den heiligen Vätern und andern Lehrern der kathol. K. über das nothwendige Bibellesen. Bielef. 1808. 8.

§. 21.

Maximi denique momenti est Synodo etiam Tridentina sancita sententia, rectam s. scripturae interpretionem esse penes Ecclesiam. Recta itaque et vera aliorum omnium interpretatio est, quatenus illi consentit. Suprema enim illa est, Sp. S. duce, potestas, et infallibilis, cum in interpretandis sacris libris et ex his confirmandis dogmatibus, tum in dirimendis ex horum sensu unice vero controversiis. Quare singularum sacrarum literarum intelligentia et iudicium de rebus fidei subiici debet huic auctoritati Ecclesiae, traditione ipsa verum sacrae scripturae sensum edoctae. Quae omnia, cum de externa Ecclesiae potestate magnificentius dicta sint, nihil continent, in quo consentientem habeant Protestantium doctrinam, Sp. S. Ecclesiae et ratione hominis ducibus, hoc ab externo in rebus fidei tribunali atque iudicio constanter abhorrentem.

„Praeterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum patrum ipsam scripturam sacram interpretari audeat; etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae fo-

rent. Qui contra venerint, per ordinarios declarentur et poenis a jure statutis puniantur." Sess. IV. decr. de edit. et usu libr. Eadem habet Professio fidei. — Vincent. Lirinensis Commonitor. I. c. 2. 32. — System d. Katholicism. II. p. 262. sqq.

PARS POSTERIOR S. SPECIALIS.

CAP. I.

DE STATU HOMINIS NATURALI ET PECCATO ORIGINALI.

§. 22.

Quamvis nulla fere aut exigua tantum intercedere videatur dissensio inter Catholicorum et Protestantium de originali statu et peccato hominis doctrinam, magnum tamen accuratius rem consideranti sese offert utriusque discrimen, praesertim si locum et rationem spectes. Vtraque de peccato sententiam christianae religionis amplectitur; inde vero ad omnem suam de hominis ad Deum ratione doctrinam singulari via stabiliendam progreditur. Nam in eo primum haud parum differt Catholicorum opinio a Protestantium doctrina, quod illi, Scholasticorum vestigia secuti, statum quendam purorum naturalium ab imagine dei seiungunt, hi contra sanctitatem et iustitiam s. imaginem diuinam hominis naturam ante lapsum ipsam fuisse docent.

Tridentinum hac de re nihil habet, nisi sententiam, in sanctitate et iustitia hominem primum fuisse constitutum. Sess. V. c. 1. Explicat rem accuratius Catechismus. „Deus ex limo terrae hominem sic corpore effectum et constitutum effinxit, ut non quidem naturae ipsius vi, sed diuino beneficio immortalis esset et impassibilis. Quod autem ad animam pertinet, eum ad imaginem et similitudinem suam formavit, liberumque ei arbitrium tribuit: omnes praeterea motus animi atque appetitiones ita in eo temperauit, ut rationis imperio nunquam non parerent. tum originalis iustitiae admirabile donum addidit, ac deinceps ceteris animantibus praeesse voluit." Catech. rom. P. I. cap. 2. quaest. 18. Petr. Lomb. Sententt. l. II. dist. 27. Thom. Aquin. Prima Secundae, quaest. 114. art. 1. 5. Gabr. Biel. Sentt. l. II. dist. 27. concl. 4. Bonavent. Sentt. l. II. dist. 27. qu. 3. Bellarmin. Tom. III. Controv. Gener. I. l. un. de grat. primi hom. c. 6. 7. p. 26 sqq. Cfr. Gerhardi Confessio cathol. l. II. P. 3. art. 21. cap. 5.

§. 23.

Deinde illi, ubi ad explicandam mali per lapsum irruentis originem atque naturam pergunt, priuationem quidem imaginis divinae, Protestantibus consentientes, dicunt, verum dissentientes illam priuationem non totalem virium spiritualium et iustitiae carentiam, sed defectum tantum doni illius supernaturalis appellant, quo sublato vires naturae quamquam satis debilitatae et attenuatae, tamen non extinctae penitus et amissae fuerint, ita, ut et liberum arbitrium homo perdiderit. Qua quidem abs opinione vehementer abhorret Protestantium communis sententia.

„Primum declarat sancta Synodus — oportere, ut unusquisque agnoscat et fateatur, quod cum omnes homines in praevaricatione Adae innocentiam perdidissent etc. — tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum et inclina-

tum." Sess. VI. decr. I. cap. 1. „Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam: anathema sit." Can. 5. Payvae Andrad. Explic. orth. l. 4. p. 345. Eiusd. Defensio Trid. fidei l. 5. p. 416. Alphons. a Castro adver. haeres. l. 9. p. 160. Bellarmin. de gratia et lib. arb. l. 4. c. 15. l. 6. c. 10. Eiusd. de amissa grat. et statu peccati c. 15 sqq. in Controv. Gener. II. l. II. „Quare non magis differt status hominis post lapsum Adae, a statu eiusdem in puris naturalibus, quam differat spoliatus a nudo, neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas neque magis ignorantia et infirmitate laborat, quam esset et laboraret in puris naturalibus condita. Proinde corruptio naturae non ex alicuius doni carentia, neque ex alicuius malae qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ob Adae peccatum amissione profluxit." l. c. p. 21.

„Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum in iis, quae ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut certe peragere, sed tantum in operibus vitae praesentis, tam bonis, quam etiam malis." Aug. Conf. p. 15. Qui locus Pseudo-Augustini emendatior reperitur in editione libror. symb. euangelico-luth. Mich. Weberi p. 17. Vid. editoris Prolegg. ad conf. aug. p. 10 sqq. „Sed non habet vim sine Sp. S. efficiendae iustitiae Dei seu iustitiae spiritualis quia animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus dei; sed haec fit in cordibus, cum per verbum Spiritus S. concipitur." l. c. Apologia p. 15. 217. Art. Smalc. p. 318. Epit. 578. Declar. p. 654 sqq. Walchii Introductio in libr. symbolic. eccles. Luther. p. 265 sqq. Tittmanni Institutio symb. p. 99 sqq. 123 sqq.

§. 24.

Postremo concupiscentiam sive proclivitatem ad malum sentiunt illi ex peccato quidem esse et ad peccatum inclinare, verum non per se et formaliter, sed caussaliter tantum, quemadmodum Scholastici docent, peccatum esse. Ex Protestan-

tium contra sententia peccati originalis natura et in renatis residens veram peccati formam et rationem habet. Quare illi vulnus, morbum, fomitem peccati dicunt concupiscentiam, hi vero habitualem totius naturae dispositionem ad omne malum, ex qua exsistere nulla ratione quidquam, nisi malum queat. Forma itaque peccati originalis non solum est facilior ad malum, quam ad bonum amplectendum dispositio, quae Catholicorum opinio est, sed ipsa depravatio naturae, nec in renatis per gratiam Dei penitus sublata; id, quod Protestantes docent. Denique a communi hominum sorte, ab originis peccato omnino liberam fuisse solam b. virginem Mariam, in Ecclesia catholica a multis perhibetur.

„Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur et sentit; quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus sed utiliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet, quinimo, qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit." Sess. V. de pecc. originali Catech. rom. P. II. c. 2. qu. 32. p. 146. Petri Canisii Summa doctr. christ. p. 73. Bellarm. T. II. Controv. Gener. II. de Sacram. bopt. l. I. c. 13. p. 80 sqq.

„Docent, quod post lapsum Adae omnes homines secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum et cum concupiscentia, quodque hic morbus seu vitium originis vere sit peccatum, damnans et afferens nunc quoque aeternam mortem his, qui non renascuntur per baptismum et Sp. S. Damnant Pelagianos, et alios, qui vitium originis negant esse peccatum etc." Aug. Conf. p. 10. „In descriptione peccati originis

et concupiscentiae mentionem fecimus, et detraximus naturalibus viribus hominis timorem et fiduciam erga Deum. Voluimus enim significare, quod peccatum originis hos quoque morbos contineat: ignorantiam Dei, contemtum Dei, vacare metu Dei, et fiducia erga Deum, non posse diligere Deum." Apol. pag. 53 sqq. „Tribuunt scholastici humanae naturae integras vires ad diligendum Deum super omnia, ad facienda praecepta Dei, quoad substantiam actuum. Nec vident, se pugnantia dicere. Nam propriis viribus posse diligere Deum super omnia, facere praecepta Dei, quid aliud est, quam habere iustitiam originis? Quod si has tantas vires habet humana natura, ut per sese possit diligere Deum super omnia, ut confidenter affirmant scholastici, quid erit peccatum originis? etc." l. c. p. 52 sqq. Art. Smalcald. p. 317. Epit. p. 572. Declar. p. 639.

„Declarat tamen haec ipsa Synodus, non esse suae intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam virginem Mariam, Dei genetricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papae IV. sub poenis." Sess. V. append. Cfr. Sess. VI. can. 23. Cf. Paschas. Radberti opusc. de partu virg. in D'Achery Spicileg. I. p. 46. S. Bernhardi Opp. Tom. III. Sermo II. in Assumt. b. v. Mar. p. 283. Epist. 174. Wadding. Annales Minor. Fratr. Tom. VI. p. 51. Schmidii Prolusiones Marianae X. Helmst. 1733. 4. Prol. VI. p. 89. Concil. Basileense Sess. 36. Sixti IV. Constitutio. Corp. Iur. can. T. II. Extra comm. l. III. t. 12. de reliqu. et venerat. sanctor. c. 1. p. 1178. ed. Boehm. J. G. Walch Einl. zu den Religionsstreitigkeiten ausser der Luth. K. II. p. 950 sqq.

CAP. 2.

DE IUSTIFICATIONE.

§. 25.

Consentit utraque Ecclesia in fovenda summa illa religionis Christi et salutifera de iustificatione doctrina. In explicando

contra salutis ordine et modo altera vehementer discedit ab altera. Ex Catholicorum enim doctrina hominis deperditi pie sancteque vivendi studium primus est ac diuina gratia excitatus nisus et actus elicitus, quo non solum nova peccatoris sanctior vita inchoatur, ipso etiam cooperante, sed et ad eum iustificandum Deus movetur. Quamquam enim iustificationis caussa et meritoria et movens est meritum Christi, conditio tamen recuperandae salutis est ipsius hominis inchoata viribus suis iustior vita. Quin caussale quoddam inter utramque vinculum intercedit. Scholastici multa fabulabantur de merito quodam congrui et condigni. Abs quibus placitis ita dissentiunt Protestantes, ut sine iustificatione per solum Christi meritum in homine peracta, nec inchoari, nec provehi ulla ratione meliorem hominis vitam et studium salutare posse doceant.

Consensus reperitur in Concilii effatis, Sess. V. decr. de pecc. orig. 1. 2. 3. Sess. VI. decr. de iustificat. c. 7. „Huius iustificationis caussae sunt etc." l. c. Dissensus autem Sess. VI. cap. 5. „Declarat, ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse: hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando disponantur: ita, ut, tangente Deo cor hominis per Sp. S. illuminationem, *neque* homo ipse *nihil omnino* agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abiicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit. Vnde in sacris literis cum dicitur: Convertimini ad me et ego convertar ad vos, libertatis no-

strae admonemur; cum respondemus: converte nos, Domine, ad te et convertemur, Dei nos gratia praevenire confitemur." „Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, et charitate, quae in cordibus eorum per Sp. S. diffundatur, atque illis inhaeret, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum favorum Dei, anathema sit." Can. 11.

August. Conf. p. 10. Apologia p. 60. Art. Smalc. pag. 335. Epit. p. 583. Declarat. p. 682. Chemnitii Ex. P. I. loc. 8. art. 1. p. 186 sqq.

§. 26.

Inde iam patet, iustificationis notionem prorsus diversam obtinere in utraque doctrina. Protestantes enim vocem iustificationis forensi quodam sensu intelligendam eamque diuinam esse declarationem hominis pro iusto volunt. Catholici contra actum esse iudicialem solum negant, sed physicum magis, maximeque moralem dicunt, quo impius in pium convertatur. Ipsam huc referunt animi sanctificationem, haud sine virium singulari efficacia per infusionem iustitiae inhaerentis, quemadmodum Scholastici docent. Quod quam alienum sit a Protestantium doctrina, facile intelligitur.

„Iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum. Vnde homo ex iniusto fit iustus et ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae." Sess. VI. cap. 7. „Id in hac impii iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimae passionis merito per Sp. S. charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, utque ipsis inhaeret, vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem" l. c. cfr. can. 11.

Bellarm. de Iustif. l. 2. c. 3 sqq. Vasquez in Prima Sec. Thom. Disputt. 102. c. 2. 3. II. p. 588 sqq. Andrad. Explic. Orth. l. VI. p. 447. Walenburch de Iustif. II. Opp. c. 5. p. 369.

Apologia p. 120 sqq. Ge. Calixti Consid. Doctr. Pontif. iuxta ductum conc. Trid. p. 11. Tittmann l. c. p. 103 sqq.

§. 27.

Negat ecclesia catholica, id, quod Protestantes sentiunt, fide sola nos iustificari. Quod quomodo cohaereat cum utriusque ecclesiae de iustificatione et humana natura sententiis patet. Accedit notionis, quam de fide concepit utraque, discrimen. Catholici fidem appellant assensum, quo vera esse credamus, quae diuinitus reuelata sint et promissa, praesertim illud, a Deo iustificari impium per gratiam eius et redemtionem Christi. Quam fidem necessariam esse ad iustificationem credunt, tamen non solam admittunt, sed ita, ut et operum spei et charitatis nunquam expers reperiatur. Protestantes contra fidei ipsi, qua meritum Christi amplectimur, nihil admixtum volunt ex operibus nostris, sed per se ex parte hominis sufficientem ad commovendum Deum; neque tamen, fide sola nos iustificante, solitariam eam esse debere ac posse docent, sed omnium deinde bonorum operum ac virtutum matrem et fontem.

Sess. VI. cap. 6. 7 et 8. „Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur, anathema sit." Can. 12. cfr. can. 13. Bellarm. de Iustif. l. 1. c. 19. 13 sqq. Tom. IV. Dispp. p. 756. Vasquez

disp. 209. in 1. Sec. Thom. c. 3. Tom. II. p. 680. Walenburch Opp. II. tract. 2. c. 64. p. 46. et tract. 7. c. 74. p. 471.

August. Conf. art. 6. p. 11. „Cum igitur doctrina de fide, quam oportet in ecclesia praecipuam esse, iam diu iacuerit ignota, quemadmodum fateri omnes necesse est, de fidei iustitia altissimum silentium fuisse in concionibus, tantum doctrinam operum versatam esse in ecclesiis, nostri de fide sic admonuerunt ecclesias. Principio, quod opera nostra non possint reconciliare Deum aut mereri remissionem peccatorum et gratiam et iustificationem, sed hanc tantum fide consequimur, credentes, quod propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus positus est mediator et propitiatorium, per quem reconcilietur Pater. Itaque qui confidit, operibus se mereri gratiam, is aspernatur Christi meritum et gratiam et quaerit sine Christo humanis viribus viam ad Deum, cum Christus de se dixerit: ego sum via, veritas et vita etc." l. c. p. 16. „Augustinus etiam de fidei nomine hoc modo admonet lectorem et docet, in scripturis nomen fidei accipi, non pro notitia, qualis est in impiis, sed pro fiducia, quae consolatur et erigit perterrefectas mentes." l. c. pag. 18. Apologia pag. 67. Quid sit fides iustificans p. 68. Quod fides in Christum iustificet. p. 71. Quod remissionem peccatorum sola fide in Christum consequamur . 73 sqq. Art. Smalc. p. 335 sqq. Tittmanni Instit utio Symb. pag. 107 sqq. 125 sqq.

CAP. 3.

DE GRATIA ET BONIS OPERIBVS.

§. 28.

In amplissimo illo loco, qui de gratia est, egregie consentire videtur utraque ecclesia, ita, ut iisdem verbis de gratia praeveniente, operante et cooperante utatur, nec viribus suis absque diuina gratia iustificari posse hominem ultro profiteatur. Verum

accuratius perspecta re, facile cognoscitur, nullam esse secundum Catholicorum doctrinam Dei gratiam, nisi cooperantem i. e. primum iam ita vires excitantem, ut hominis ipsae vires illi respondeant, secundum vero Protestantium sententiam gratia non primum excitat vires debilitatas, sed creat deficientes. Inde haud exigua oriuntur in utraque sententia accuratius explicanda discrimina, quae omnia singulari de peccato originali sententia et iustificationis notione nituntur.

Ad consensum utriusque ecclesiae referendi sunt canones 1. 2. 3. Sess. VI. ad dissensum cap. 5. eiusdem Sessionis et can. 9.
August. Conf. p. 18.

§. 29.

Scholasticorum effata de gratia quadam gratis data, gratum faciente, de merito quodam congrui et condigni secuti Patres Tridentini docuerunt, praeparare sese ac disponere posse et debere peccatorem ad accipiendam diuinam gratiam, deinde maiora in dies augmenta capere in iustificatione (secunda), tunc omnia posse Dei praecepta rite observare, denique ipsam vitam aeternam operibus suis promereri. Quae quidem omnia longius absunt ab eo, ut Protestantibus placeant. Docent contra, nec ipsius iustificati et sanctificati ita comparatam esse iustitiam, ut propter hanc ad praemium ullum aspirare possit, nec vitam aeternam ulla ex alia caussa illi contingere, nisi intuitu solo et apprehensione iustitiae ac meriti Christi.

„Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia et adiuti fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum — illumque tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem — denique, dum proponunt, suscipere baptismum, inchoare novam vitam et servare diuina mandata." Sess. VI. cap. 6. „Si quis dixerit, opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit." Can. 7. „Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, ita, ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur et nulla ex parte nesesse esse, eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi, anathema sit." Can. 9. „Sic ergo iustificati et amici Déi ac domestici facti euntes de virtute ad virtutem, renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem; — sicut scriptum est, qui iustus est, iustificetur adhuc — et rursus, quoniam ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum. Hoc vero iustitiae incrementum petit sancta ecclecia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei et charitatis augmentum." Cap. 10. et 11. „Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa iustificationis adeptae, non autem ipsius augendae caussam, anathema sit." Sess. VI. can. de Iustif. 24. „Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam iustificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibila, anathema sit." Can. 18. „Atque ideo bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna et tanquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda." Cap. 16. „Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anathema sit." Can. 31. „Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum, ana-

thema sit." Can. 32. cfr. can. 24. 26. Caute tamen hic dispiciendum est: sunt enim, qui operibus dignitatem et promerendi vim inesse dicant, non quatenus a libero arbitrio, sed quatenus a gratia proficiscuntur. Haec etiam Synodus voluit; vid. cap. 16. Bellarm. de iustif. l. 4. cap. 10. cfr. de rom. pont. l. 3. c. 23. „Non timemus adserere, posse hominem per gratiam Dei iustificatum eiusdem gratiae adiutorio et legem implere et ea impletione vitam aeternam promereri." Ita etiam Thom. Aquin. Summa I. sec. quaest. 114. art. 3. p. 258 sqq. Sed conferatur contra Scholasticorum defensor Vasquez in Prima sec. Thom. disp. 213. c. 4. Tom. II. p. 735 sqq. Bellarm. T. III Controv. Gener. III. Sec. Princ. l. IV. de Iustif. c. 10. Bossuet Exp. doctr. cath. c. 7.

August. Conf. p. 17. 18. 19. „Et quod fingunt discrimen inter meritum congrui et meritum condigni, ludunt tantum, ne videantur aperte πελαγιανίζειν. Nam si Deus necessario dat gratiam pro merito congrui, iam non est meritum congrui, sed meritum condigni. Quamquam quid dicant, non vident. Post habitum illum dilectionis fingunt, hominem de condigno mereri etc. Apol. p. 63. De dilectione et impletione legis Apol. p. 83. Art. Smalc. p. 335 sqq.

§. 30.

Propterea denique Protestantes accusaverunt Catholicorum de gratia et operibus doctrinam, his rationibus: quod nimium quantum detrahat gloriae Dei et merito Christi, quod ad Semipelagianorum, quin ad Pelagianorum errores delapsa salutarem de vera iustificationis ratione doctrinam obscuraverit, quod nimium tribuens operibus satisfactoriis auctoritatem bona hominis opera opponat iudicio Dei et perterrefactas conscientias irretitas teneat laqueis et fiducia bonorum operum humanarumque virtutum. Catholici contra haud raro gloriati sunt, se de iustitia et virtute multo rectius ac solertius docere, nec sola in fide

tradenda acquiescere. Damnaverunt thesin illam, ex qua libertatis expers cogitatur homo, quin truncus ante iustificationem. Improbarunt, ut falsam et perniciosam, eam doctrinam, quod peccent homines facientes praecepta Dei sine fide et gratia, unde necessario sequatur, ethnicorum virtutes esse nullas, imo nil nisi peccata splendida. Quae omnia quum bene intellecta in utriusque systemate suo loco et ordine proposita idoneisque argumentis suis probata, ex principiis diversissimis necessario fluant, vitia alteri, quae ipsius virtutes sunt, videri facile intelligitur.

„Obscurata est doctrina de gratia et iustitia fidei, quae est praecipua pars Evangelii et quam maxime oportet extare et eminere in ecclesia, ut meritum Christi bene cognoscatur et fides, quae credit remitti peccata propter Christum, longe supra opera collocetur. Quare et Paulus in hunc locum maxime incumbit legem et traditiones humanas removet, ut ostendat, iustitiam christianam aliud quiddam esse, quam huiusmodi opera, videlicet fidem, quae credit, peccata gratis remitti propter Christum. At haec doctrina Pauli pene tota oppressa est per traditiones, quae peperunt opinionem, quod per discrimina ciborum et similes cultus oporteat mereri gratiam et iustitiam etc." Apol. p. 28. „Et hac persuasione regnabant et alebant fiduciam humanarum virium et opprimebant cognitionem gratiae Christi. Itaque Lutherus, volens magnitudinem peccati originalis et humanae infirmitatis declarare, docuit, reliquias illas peccati originalis non esse sua natura in homine ἀδιάφορα, sed indigere gratia Christi, ne imputentur, item Sp. Sancto, ut mortificentur. Quamquam Scholastici utrumque extenuant, peccatum et poenam, cum docent, hominem propriis viribus posse mandata Dei facere sqq." Apol. p. 58. „Nam adversarii, cum neque quid remissio peccatorum, neque quid fides, neque quid gratia, neque quid iustitia sit, intelligant, misere contaminant hunc locum, et obscurant gloriam et beneficia Christi et eripiunt piis conscientiis pro-

positas in Christo consolationes." p. 60. „Quodsi in opera nostra collocanda erit fiducia, detrahitur Christo honos mediatoris et propitiatoris. Et tamen comperimus, in iudicio Dei hanc fiduciam vanam esse et conscientias inde ruere in desperationem. Quod si remissio peccatorum et reconciliatio non contingit gratis propter Christum, sed propter nostram dilectionem, nemo habiturus est remissionem peccatorum, nisi ubi totam legem fecerit, quia lex non iustificat, donec nos accusare potest." p. 89. „Ita sepeliunt Christum, ne eo mediatore utantur homines et propter ipsum sentiant, se gratis accipere remissionem peccatorum et reconciliationem, sed somnient se propria implectione legis mereri remissionem peccatorum — cum tamen legi nunquam satisfiat, cum ratio nihil faciat, nisi quaedam civilia opera." p. 62. cfr. p. 124 sqq. cfr. August. Conf. p. 17. „Hinc facile apparet, hanc doctrinam non esse accusandam, quod bona opera prohibeat, sed multo magis laudandam, quod ostendit, quomodo bona opera facere possimus. Nam sine fide nullo modo potest humana natura primi aut secundi praecepti opera facere. Sine fide non invocat Deum, a Deo nihil exspectat, non tolerat crucem, sed quaerit humana praesidia, confidit humanis praesidiis. Ita regnant in corde omnes cupiditates et humana consilia, cum abest fides et fiducia erga Deum." Aug Conf. p. 19.

„Si quis dixerit, per hanc doctrinam catholicam de iustificatione a sancta Synodo hoc praesenti decreto expressam aliqua ex parte gloriae Dei, vel meritis Iesu Christi Domini nostri derogari et non potius veritatem fidei nostrae, Dei denique ac Christi Iesu gloriam illustrari, anathema sit." Can. 33. cfr. Sess. XIV. cap. 8.

„Falsum est et hoc et contumeliosum in Christum, quod non peccent homines facientes praecepta Dei sine gratia." Apol. p. 64.

§. 31.

Exstitere tamen Sec. XVII. inter ipsos Ecclesiae catholicae Theologos hac de re magna dissidia, quae secutum denique schisma est, ne his quidem nostris temporibus exstinctum. Sunt enim, qui quamvis

ad

ad ipsa Concilii Tridentini effata provocantes, ab una receptaque Ecclesiae doctrina recessisse nolint videri, tamen hac in re cum Protestantium symbolis et S. Augustino sentiant omnemque eius de gratia et operibus doctrinam defendant, qui quum a Pontiff. maxx. damnati essent, etiam de romana sede eiusque iuribus minus honorifice sentiunt. Magis etiam aucta dissidia per Clementis XI. Bullam *Vnigenitus* prisca his de rebus certamina renovarunt et romanae sedi tetram asperserunt maculam. Satis aperta nunc prodiit Semipelagiana Ecclesiae Romanae et Iesuitarum sive Molinistarum sententia, satisque distincta a doctrina Iansenistarum.

Repetenda haec interna dissensio ex Baii propositionibus est, a P. Pio V. a. 1567. damnatis in bulla: Ex omnibus afflictionibus. Du Pin nouv. Biblioth. des aut. ecclesiast. T. XXVI. p. 139 sqq. Sequebatur certamen fratrum praedicatorum cum Molina S. I. excitatum libro: Liberi arbitrii cum gratiae donis, diuina praescientia, prouidentia, praedestinatione et reprobatione concordia. Lissap. 1588. fol. cuius potissimum causa institutae sunt a Clemente VIII. P. r. a. 1598. congregationes de auxiliis. Augustini le Blanc (P. Serry) Hist. congregat. de auxiliis diuinae gratiae. Lovan. 1700. fol. l. II. p. 164. l. IV. p. 758. Le Clerc Memoires pour servir à l'histoire des controverses nées dans l'Eglise romaine, sur la Prédestination et sur la Grace depuis le Conc. de Trente in Biblioth. universelle et hist. de l'année 1689. T. XIV. à Amst. 1689. 12. p. 144 sqq. Ex male diremtis his controversiis natum denique est fatale Iansenistarum schisma, cui ansam praebuit Iansenii liber inscriptus: Augustinus, s. doctrina S. Augustini de humanae naturae sanitate, aegritudine, medicina, adversus Pelagianos et Massilienses a. 1640. fol. Dumas Histoire de cinq propositions de Iansenius à Liege. 1694. 12. Pfaffii Acta publica Constitutionis Vnigenitus. Tubing. 1721. 4. Histoire generale du Iansenisme (par Gerbe-

ron), Amst. 1700. 3 Voll. Melch. Leydekker de Historia Iansenismi libri VI. Trai. ad Rhen. 1695. 8. I. G. Walch de Pelagianismo in Ecclesia rom. per Bullam Anti-Quesnellianam triumphante, Ien. 1714. 4. Eiusd. Einleit. in die Religionsstreitigk. ausser der Luth. K. I. p. 233 sqq. II. p. 855 sqq. Stäudlin kirchliche Geographie u. Statistik II. p. 228 sqq. Sev. Vater in praef. ad ed. Henckii comp. histor. ecclesiast.

§. 32.

Quemadmodum post mediam Symbolis expressam sententiam haud pauci in Ecclesia catholica ad duriorem Augustini doctrinam transiere, ita, stabilita Symbolis Protestantium Augustiniana sententia, mitior quaedam hac in Ecclesia postea obtinuit his de rebus omnibus doctrina, quae Melanchthonis est et Strigelii. Quae quamquam haud exiguis quibusdam locis recedit a duriori Lutheri, postea quoque in Formula concordiae recepta sententia, tamen a Pelagianorum et Semipelagianorum commentis longius remota, ab Ecclesiae etiam catholicae opinione vehementer abhorret neque capitali de iustificatione doctrinae Lutheranae repugnat: quod quidem superest idoneis argumentis evincendum.

„Non probo deliramenta Manichaeorum, qui prorsus nullam voluntati actionem tribuebant, nec quidem adiuvante Sp. S. quasi prorsus nihil interesset inter voluntatem et statuam." — Tres sunt caussae concurrentes, Verbum, Sp. S. et voluntas hominis, non sane otiosa, sed repugnans infirmitati suae. „Melanchth. Locc. theol. ed. a. 1535." „Differunt mea opinio et Pelagianorum primum in eo, quod Pelagiani dicunt, inchoationem boni motus et spiritualis tribuendam esse voluntati, ego vero clare dico et semper dixi, hominem naturali vi, sine filio Dei sanante nostra vulnera et sine Sp. S. movente corda

ne quidem inchoare posse conversionem ad Deum. Secundum discrimen est de praeparatione seu merito congrui. Pelagiani enim teste Augustino dicebant, posse nos propriis viribus praeparare cor ad gratiam, ut mereamur gratiam de congruo. Ego vero omnem praeparationem et omne meritum congrui et quicquid est talium Sophismatum et somniorum cupio ex omni memoria et Ecclesia tolli. Tertio Pelagiani dicunt de perfectione seu consummatione, non posse perfici bonum opus sine auxilio. Ego vero clare dico ex epistola ad Ebraeos, filium Dei non esse tantum ducem, sed etiam consummatorem fidei, etc." Strigelii Disp. Vinar. p. 165. Melanchthonis Consilia ed. Pezel. p. 594. Confessio et sententia Wittenbergensium de libero arbitrio, cuidam Electori a. 1561. exhibita una cum utilibus scholiis M. Flac. Illyr. et Zach. Praetorii. 8. ap. Schlüsselburg Catalog. haer. l. V. p. 525 sqq. J. G. Walch Einl. in die Religionsstreitigk. d. Luth. K. I. p. 60 sqq. Planck Gesch. d. protest. Lehrbegr. IV. p. 667 sqq.

CAP. 4.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

§. 33.

Sunt praeter verbum Dei quaedam media gratiae, quae in utraque ecclesia Sacramenta vocantur. Quorum numerum septenarium Tridentina Synodus ex suprema sua auctoritate primum singulari sanctione definiuit. Protestantes contra in utroque baptismi et altaris sacramento venerando acquiescunt. Reprobant igitur Catholicorum argumenta, quibus probare conantur, cetera sacramenta eodemque sensu, quo illa, vere ac proprie Sacramenta esse, eademque gaudere mandatis Dei et institutione Christi; quae

omnia quum ex traditione magis, quam ex sacra scriptura probari soleant, ipsa priorum septem seculorum historia non favente, nec cetera quinque sacramenta externum habeant elementum, a Christo praescriptum, cuius applicatio materiam sacramenti constituere possit, non ita comparata sunt, ut assensum queant extorquere.

„Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo, Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum; anathema sit." Sess. VII. De Sacram. in genere Can. 1. „Catholicae ecclesiae sacramenta septenario numero definita sunt, quemadmodum scriptura sacra probatur et Patrum traditione ad nos pervenit." Catech. rom. P. II. c. 1. qu. 2. Vasquez in Parte III. Thomae Disputt. 139. c. 1. num. 4. Tom. II. p. 314. Bellarmin. de Sacr. l. II. c. 24. Tom. III. p. 477.

„Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei et quibus addita est promissio gratiae, facile est iudicare, quae sint proprie Sacramenta. Nam ritus ab hominibus instituti non erunt hoc modo proprie dicta Sacramenta. Non est enim auctoritatis humanae, promittere gratiam. Quare signa sine mandato Dei instituta, non sunt certa signa gratiae, etiamsi fortasse rudes docent aut admonent aliquid. Vere igitur sunt Sacramenta Baptismus, Coena domini, Absolutio, quae est Sacramentum poenitentiae. Nam hi ritus habent mandatum Dei et promissionem gratiae, quae est propria Noui Testamenti." Apologia p. 200. Nemo vir prudens de numero (sacramentorum) aut vocabulo magnopere rixabitur, si tamen illae res retineantur, quae habent mandatum Dei ut promissiones. ib. p. 202. Art. Smalc. art. 8. p. 329. Cfr. Lutheri libellus de captivitate babylonica; latine in Opp. Viteb. (1520) T. II. p. 66. Ien. T. II. p. 259 — 286. Epitomen huius scripti v. in Planckii Geschichte d. prot. Lehrbegr. P. I. p. 273 sqq.

§. 34.

Tridentina Synodus porro statuit; Sacramenta non solum, quae nonnullorum Reformatorum sententia est, gratiam significare, nec solum eam conferre, id, quod Lutherani docent, sed continere, quemadmodum Scholastici sentiunt. Quamquam enim in eo conveniunt Catholici et Lutherani, supernaturali quadam ratione sese nobis exhibere Sacramentis diuinam gratiam, tamen, quae causa his instrumentalis, illis efficiens, etiam intelligitur gratiae iustificantis, ita ut, quod necessario per se operans Sacramentum statuunt Catholici, idem in animis fide destitutis nihil efficere posse doceant Protestantes.

„Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel iustitiae et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernanter fideles ab infidelibus; anathema sit." Can. 6. „Si quis dixerit, haec Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; anathema sit." Can. 5. „Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus; anathema sit." Can. 7. Bossuet Doctr. cathol. Expos. c. 9.

„De usu Sacramentorum docent, quod Sacramenta instituta sint, non modo ut sint notae professionis inter homines, sed magis, ut sint signa et testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam et confirmandam fidem in his, qui utuntur, proposita. Itaque utendum est Sacramentis ita, ut fides accedat, quae credat promissionibus, quae per Sacramenta exhibentur et ostenduntur." Aug. Conf. art. 13. p. 13. Tittmanni Instit. symb. p. 117 sqq.

§. 35.

Docet enim Synodus, ex opere operato Sacramentis vim inesse iustificationis diuinam. Quod quidem de opere operato placitum qua ratione intelligendum sit, ab ipsa Synodo non est traditum. Sunt autem, nonnulli praesertim Scholastici, qui statuant, ex opere operato vim suam exserere Sacramenta, nihil esse aliud, quam sine fide et bono motu utentis. Neque tamen desunt in ipsa ecclesia catholica, qui formula hac non recipientis animum et fidem excludi, sed administrantis dignitatem et meritum non necessario requiri ad salutarem Sacramentorum vim et efficaciam velint, et opus illud operatum non fidei suscipientis, sed operi operantis opponant. Quae quidem interpretatio ut Concilii dictis non absona, ita Protestantium sententiae admodum consona dici potest.

„Si quis dixerit, per ipsa novae legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem diuinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit." Can. 7. Albertus M. in c. 6. Ioan: Opus operatum et perfectio externi operis sine motu interno. Gabr. Biel l. IV. Sententt. Dist. 1. qu. 3. „Sacramentum ex opere operato dicitur conferre eo sensu, quod praeter exhibitionem signi foris exhibiti non requiratur bonus motus interior in suscipiente." Forbesii Instructiones hist. theol. l. IX. c. 2. p. 446 sqq. Bellarm. de Sacrament. l. II. c. 1. Tom. III. p. 107 sqq. Vasquez Pars III. Thom. Disp. 131. c. 1. Tom. II. p. 215. Sed ne durius verba illa interpretemur, monent Catholici v. c. Bossuetus exposit. doctr. cath. c. 9. §. 78. et Herm. Busenbaum, „ad essentiam Sacramenti, ait, requiri, ut veram sanctitatem efficiat ex opere operato, i. e. usu suo et applicatione, per propriam efficaciam, et non ex opere operantis, sive per actum aut dispositionem mini-

strantis vel suscipientis; quae etsi ad effectum Sacramenti requiratur, non tamen ut causa, sed ut conditio sine qua non." Medulla Theol. moral. l. VI. tract. 1. c. 1.

„Damnant illos, qui docent, quod Sacramenta ex opere operato iustificent, nec docent, fidem requiri in usu Sacramentorum, quae credit remitti peccata." Aug. Conf. art. 13. p. 13. cfr. art. 8. p. 12. „Iudaica opinio est, sentire, quod per ceremoniam iustificemur sine bono motu cordis, hoc est, sine fide et tamen haec impia et superstitiosa opinio magna auctoritate docetur in toto regno pontificio." Apol. p. 203.

§. 36.

Duo autem omnino sunt sacramentorum ecclesiae catholicae genera, alterum eorum, quae iterari possunt, quo pertinent matrimonium, poenitentia, coena et unctio extrema, alterum eorum, quae signum quoddam spirituale et indelebile animis imprimunt ideoque nunquam repeti possunt. Quo referunt baptismum, confirmationem et ordinem. Denique in hoc controversia nulla est, duo esse praecipua nostrae salutis sacramenta, nempe baptisma et sacramentum corporis et sanguinis Domini.

De charactere indelebili v. can. 9. Gabr. Biel Sententt. l. IV. Dist. 6. quaest. 2. art. 3. Gerhard conf. cath. P. II l. 2. art. II. c. 2. p. 1097 sqq. Sarpi Hist. du conc. de Trente. l. II. Bellarm. de sacram. c. 19. Tom. II. Controv. I. lib. 2. p. 259. Christ. Matth. Pfaffii diss. de charactere indelebili. Tub. 1729. 4. Io. Fr. Cotta ad Gerhardi Loc. theol. Tom. VIII. p. 314. — „Si quis dixerit, haec septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit." Can. 3. cfr. Bellarm. l. c. cap. 28. p. 302.

CAP. 5.

DE SACRAMENTIS SINGVLIS.

§. 37.

De Baptismi Sacramento nulla maioris momenti inter utramque ecclesiam controversia est. Confirmationem ab episcopo chrismatis ab ipso confecti ope peractam sacramenti dignitatem et efficaciam habere, Protestantes negant: nimium enim hac ratione Baptismo detrahi docent. Quare institutionem, explorationem, professionem fidei et exhortationem ad perseverantiam esse eam voluerunt. Ad doctrinam igitur, ad vitam et spiritum hi referunt ritum, quem ceremoniam maxime externam et magica quadam vi praeditam esse sentiunt Catholici.

De Baptismo v. Sess. VII. Can. 1—14. Cfr. Sess. V. 5. Catech. rom. P. II. cap. 2. quaest. 1 sqq. De ritibus baptismi copiose disputat Io. Dallaeus de cultib. religios. Latinor. Genevae 1671. 4. lib. I.

Aug. Conf. art. 9. cfr. Apol. p. 156. Catech. min. p. 376. mai. 401. Art. Smalc. p. 329.

De Confirmatione v. Sess. VII. „Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit." Can. 3. „Si quis dixerit, iniurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit." Can. 2. „Si quis dixerit, Confirmationem baptisatorum otiosam ceremoniam esse et non potius verum et proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesin quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram ecclesia exponebant; anathema sit." Can. 1 Catech. rom. P. II. cap. 3. qu. 1—20. Io. Morini liber de Sacramento Confirmationis in ei. Opusc. posth. Paris. 1703. 4. Bellarm. de Confirm.

l. II. c. 8. 10. 11. Tom. III. p. 318. Bossuet Expos. doctr. cath. c. 9. §. 83.

Apologia p. 201. Impugnarunt hoc Sacramentum Lucas Holstenius in diss. de ministerio Confirmationis. Rom. 1676. 8. et Dallaeus in libro: de duobus latinorum ex unctione Sacramentis: Confirmatione et extrema, ut vocant, unctione. Genevae 1679. 4. Christ. Kortholt Disquisitiones Antibaronianae. p. 95.

§. 38

In Sacramento Poenitentiae, a Petro Lombardo primum in Sacramentorum numerum relato, nec a Protestantibus in Apologia reprobato, duae res, ut in ceteris, solent distingui, primum materia, deinde forma. Ad materiam referunt Catholici confessionem oris, contritionem cordis, satisfactionem operis; quas sequitur effectus, reconciliatio cumDeo. Damnat ideo Synodus sententiam Protestantium, qui partes esse Poenitentiae contritionem dicunt et fidem. Confessio enim apud hos quamquam plurimum valet, tamen institutum humanum habetur; apud Catholicos autem auricularis illa a Christo ipso instituta dicitur, et singulorum peccatorum enumerationem requirit. Quid de Scholasticorum distinctione inter attritionem et contritionem senserit Tridentinum, de eo disputatum est. Satisfactionis opera meritoria esse et supererogationis docent. Forma denique Sacramenti est sacerdotis absolutio, instar actus iudicialis.

Petr. Lomb. l. IV. Dist. 17. Apologia art. 7. p. 200.

Sess. XIV. Decr. de Poenit. Cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 9. Can. 6. 7. 8. „Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in

poenitente, quasi materiam Sacramenti Poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem, et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur, aut dixerit, duas tantum esse poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae, agnito peccato et fidem conceptam ex evangelio, vel absolutionem, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit." Can. 4. Launoius de mente concilii Trid. circa contritionem et attritionem in Sacram. Poenit. Paris. 1633. Walch biblioth. theol. sel. II. p. 197. Catechismus romanus. Bellarm. de Poenit. §. 2. Morinus de administr. sacr. Poenitentiae. Bossueti expositio doct. cath. c. 8. Io. Launoii de mente Tridentini conc. circa satisfactionem in sacramento Poenitentiae, dissertatio. Paris. 1664. 8.

„Constat autem poenitentia proprie his duabus partibus: altera est contritio, seu terrores incussi conscientiae, agnito peccato, altera est fides, quae concipitur ex Evangelio, seu absolutione et credit propter Christum remitti peccata, et consolatur conscientiam et ex terroribus liberat. Deinde sequi debent bona opera, quae sunt fructus poenitentiae." Aug. Conf. art. 12. p. 12. Apologia p. 158 sqq. art. 5. De Poenit. p. 161—180. De Confessione et satisfact. p. 181—200. „Nam et nos confessionem retinemus praecipue propter absolutionem, quae est verbum Dei, quod de singulis auctoritate diuina pronunciat potestas clavium. Quare impium esset, ex Ecclesia privatam absolutionem tollere. — Ceterum de enumeratione delictorum supradiximus, quod sentiamus, eam non esse iure diuino necessarium etc." p. 181 sqq. — Aug. Conf. p. 27 sqq. Art. Smalc. p. 319. 330 sqq. Cat. min. p. 378. Epit. p. 591. Declar. p. 709. Vid. Io. Frid. Cotta in dissert. de attritione et contritione in Gerhard Locc. theol. Tom. VI. Io. Dallaei de sacramentali sive auriculari Latinorum confessione disputatio. Genevae 1661. 4. Cui deinde dissertationem polemicam opposuit Natalis Alexander de confessione sacramentali. Parisiis 1678. 8.

§. 39.

Matrimonium, cuius sanctitatem eadem ratione utraque ecclesia veneratur, Sacramentum esse declaravit ecclesia catholica. Habet graviores causas Protestantium do-

ctrina, ex quibus eam dignitatem matrimonio deneget. Annexae sunt Catholicorum hac de re doctrinae nonnullae de impedimentis, de divortio, de dispensatione leges, quae ad ius canonicum spectant, nec a Protestantibus probantur. — Extremam porro esse unctionem eamque Sacramentum voluit catholica ecclesia, cuius singularem rationem ex traditione potissimum probare studet. Protestantes contra verbo Dei freti cum morientibus eucharistiam communicant tanquam viaticum, nec de unctione quicquam praescriptum et sacris literis traditum esse statuunt.

Sess. XXIV. Decr. de Sacr. Matrimonii et Can. 1. „Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis a Christo domino institutum — neque gratiam conferre, anathema sit." Referunt huc Matth. 19, 6. Marci 10, 7 sqq. Eph. 5, 25. et 32. Benedicti p. r. Opp. Tom. XI. Rom. 1748. „Fidelium matrimonium a Deo, in officium naturae, ab initio institutum, fuisse postea a Christo Domino elevatum ad dignitatem veri et proprii Sacramenti novae legis, causantis gratiam ex opere operato, veritas catholica est, definita ab Eugenio IV. in decreto pro Armenis §. *Septimum* atque a Tridentino" sqq. p. 352. Bellarmin. T. II. Contr. gen. lib. de Sacr. matrim. c. 2. p. 70 sqq.

Apologia p. 202.

Sess. XIV. Doctrina de Sacr. extr. unct. c. 1. 2. 3. Can. 1. 2. 3. 4. Instructio Eugenii P. r. pro Armenis in Act. Conc. Florent. a. 1439. ap. Harduin. IX. p. 440. Bellarm. l. I. de extr. unct. c. 7 sqq. Tom. III. p. 1261 sqq. Trahunt huc Marc. 6, 13. Iac. 5. Ex traditione probare hoc sacramentum conatur Io. Launoius de Sacramento unctionis infirmorum. Lutet. Paris. 1673. 8.

Apologia p. 201.

§. 40.

In loco de Sacramento Eucharistiae primum magna lis est de modo praesentiae domini. I. Docet enim ecclesia catholica, panem et vinum per consecrationem converti in corpus et sanguinem Christi, sublata prorsus panis et vini substantia, quod stupendum miraculum transsubstantiationem vocant. Docet contra ecclesia Lutherana, non solum vere adesse Christum, sed etiam cum panis et vini materia coniunctum esse in Eucharistia, manente tamen utriusque natura. II. Sequitur inde, remanere corpus et sanguinem Christi in hostiis et particulis conservatis cum ante usum tum post, vel ubi in pyxide asservetur: durabilem itaque eius esse in Eucharistia praesentiam, propterreaque adorandum, in conspectu populi circumgestandum etc. Eiusmodi cerimonia et adoratio ἀρτολατρειαν saperet in ecclesia Lutherana: id, quod de catholico ritu dici non potest.

I. Sess. XIII. cap. 1. 2. 4. „Si quis negauerit, in sanctissimae Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem domini, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo: vel figura, aut virtute; anathema sit." Can. 1. „Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiae Sactamento remanere substantiam panis et vini, una cum corpore et sanguine domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica ecclesia aptissime Transsubstantiationem appellat; anathema sit." Can. 2. Catech. rom. P. II. c. 4. qu. 22. qu. 31. Andra.

dii Orthod. explicat. l. VII. p. 569. Bellarm. T. II. Controv. Gener. III. l. I—III.

August. Conf. p. 12. Apol. p. 157. „De transsubstantiatione subtilitatem Sophisticam nihil curamus, qua fingunt, panem et vinum relinquere et amittere naturalem suam substantiam et tantum speciem et colorem panis et non verum panem remanere etc." Art. Smalc. p. 330. Catech. min. p. 380 sqq. mai. p. 402. Epit. p. 602. Declar. p. 736. Cfr. Sanctorum Patrum de praesentia Christi in coena domini sententia triplex sive sacrae Eucharistiae historia tripartita. Dissert. Heidelbergae 1811. 4.

II. Sess. XIII. Cap. 3. 5. „Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse corpus et sanguinem domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus domini; anathema sit." Can. 4. „Si quis dixerit, in sancto Eucharistiae Sacramento Christum unigenitum dei filium non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in Processionibus, secundum laudabilem et universalem ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem solenniter circumgestandam, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum et eius adoratores esse idololatras; anathema sit." Can. 6. Bellarm. T. III. Contr. gen. II. l. IV. c. 29. Benedicti XIV. p. 1. in Commentar. de Festis Iesu Christi et matris eius etc. P. I. num. 532 sqq. p. 211 sqq.

Chemnitii examen concil. Trid. P. II. p. 384 sqq. Dallaei de cultib. relig. Latinor. l. VII. p. 815 sqq.

§. 41.

III. Ex decretis ecclesiae catholicae omnes fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerunt, tenentur singulis annis, saltem Paschate, ad communicandum: quae quidem lex, cum olim piorum libertatem nimium circumscribere videretur, nostris profecto liberioribus temporibus non inutilis est. IV. Porro totum et integrum

Christum esse sub qualibet specie, propterea que confirmandam communionem sub una panis, ex iustis, ut locuta Synodus est, causis docuit. Ansam, imo praetextum praebuit effusionis sacri vini periculum et Scholasticorum commentum de concomitantia. Atque hoc in loco Protestantes longius recedunt ab ecclesia catholica nec mutilari sibi Sacramentum sinunt. Neque tamen praetermittendum videtur, ex Catholicorum ipsorum sententia communionis sub utraque prohibitionem ad disciplinam magis, quam ad doctrinam spectare.

III. Sess. XIII. Can. 9. Harduin. Concil. VII. p. 35. Catechis. min. p. 363. maior p. 560. 564.

IV. Sess. XXI. Cap. 1. 2. 3. „Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti sumere debere, anathema sit." Can. 1. „Si quis dixerit, sanctam ecclesiam catholicam non iustis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam Clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit." Can. 2. „Si quis negauerit, totum et integrum Christi, omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie sumi, quia ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi constitutionem sub utraque specie sumatur, anathema sit." Can. 3. Catech. rom. P. II. c. 4. qu. 27. 28. 30. 50. Concil. Constant. ed. von der Hardt III. P. 18. p. 646 sqq. Bellarm. Tom. II. Controv. gen. II. l. IV. c. 21 sqq. Bossuet Exp. doctr. cathol. c. 17.

Aug. Conf. p. 21. Apol. p. 233 sqq. „Et non tantum unam speciem esse dandam sentimus. Non enim indigemus doxosophia ista, quae nos doceat, sub una specie tantum esse, quantum sub utraque, sicut Sophistae et concilium Constantiense docent. Etsi enim verum esse forte possit, quod sub una tantum sit, quantum sub utraque, tamen una species non est tota ordinatio et institutio per Christum facta, tradita et mandata. Imprimis vero damnamus et execramur in nomine Domini omnes eos, qui non tantum utram-

que speciem omittunt, verum etiam tyrannice eam prohibent, damnant et blasphemant, ut haeresin, et ita se ipsos supra et contra Christum Dominum et Deum nostrum extollant, opponentes et praeponentes se Christo etc." Art. Smalc. p. 330. Chemnitii Ex. P. II. loc. 5. p. 412. Io. Andr. Schmid diss. de fatis calicis eucharistici in eccles. rom. Helmst. 1708. Spittler Gesch. d. Kelchs im Abendmahl. Mayeri diss. de regis Galliae communione sub utraque, Viteb. 1686. 4.

§. 42.

V. Denique in Eucharistia Sacrificium esse voluit Synodus, idque propitiatorium. Hoc de Sacrificio dogma nullum habere cum Sacramento commercium putat: quapropter et singulari loco de illo disputat. Nec vera Protestantium doctrina omnino abhorret a recta sacrificii notione; exstat enim sexcenties libris sacris expressa. Verum ecclesia catholica docet, Christum in instituta ipsa coena sacra se obtulisse Patri sub speciebus panis et vini tanquam sacrificium, atque simul sacerdotem secundum ordinem Melchisedek, ut cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaret. Quo in loco, ut facile intelligitur, plurimum valet doctrina de transsubstantiatione. Duae autem hic res praecipue spectandae sunt, altera, propter naturam hominis visibile hoc institutum esse a Christo sacrificium, propterea que magna rituum et ceremoniarum pompa celebrandum, altera, vere et proprie propitiatorium esse, non tantum vivis, sed et defunctis. Vnde effluxit cum missarum singularis ratio et copia, tum sacerdotii dignitas. Sed ea omnia, prout a Catholicis explicantur, locum habere in theologia Protestantium non possunt.

Sess. XXII. Provem. Cap. 1. 2. 5. „Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerre non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit." Can. 1. „Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit." Can. 3. „Si quis dixerit, ceremonias, vestes et externa signa, quibus in missarum celebratione ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit." Can. 7. „Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio, in cruce peracti, per missae sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit." Can. 4. Catechism. Rom. qu. 55. Ritus in celebratione missae observandos prolixius descripsit Benedict. XIV. p. 1. in Commentar. de sacrificio missae. Num. 36 sqq. p. 42 sqq. „Vt autem sacrificium est eucharistia, non merendi solum, sed satisfaciendi quoque efficientiam continent. Nam ut Christus dominus in passione sua pro nobis meruit ac satisfecit: sic qui hoc sacrificium offerunt, quo nobiscum communicant dominicae passionis fructum, merentur ac satisfaciunt." Qu. 55. „Sacrosanctum missae sacrificium est — vere etiam propitiatorium sacrificium, quo deus nobis placatus et propitius redditur. Huius enim victimae odore ita delectatur dominus, ut gratiae et poenitentiae donum nobis impertiens, peccata condonet." Quaest. 62. „Ea est vis huius sacrificii, ut non solum immolanti et sumenti prosit, sed omnibus etiam fidelibus, sive nobiscum in terris vivant, sive iam in domino mortui, nondum plane expiati sint." Quaest. 63. Bossueti expositio doctr. cathol. c. 14.

De missa Aug. Conf. p. 23. Apol. 250. De sacrificio p. 253 — 276. „Etsi autem adversarii in hoc loco multa congerunt, ut probent, missam esse sacrificium, tamen ille ingens tumultus verborum prolata hac unica responsione consilescet, quod haec quamvis longa coacervatio auctoritatum, rationum, testimoniorum non ostendat, quod missa ex opere operato conferat gratiam, aut applicata pro aliis mereatur eis remissionem venalium et mortalium peccatorum culpae et poenae." l. c. p. 251. „Adversarii ubique sacrificii nomen ad solam ceremoniam detorquent praedicationem evangelii; fidem, invocationem et similia omittunt,

tunt, cum ceremonia propter haec instituta sit. Et novum Testamentum debeat habere sacrificia cordis, non ceremonialia pro peccatis facienda, more levitici sacerdotii." l. c. p. 259. „Adversarii falso somniant, solam ceremoniam significari, non etiam praedicationem euangelii, mortificationem et vivificationem cordis etc. Nunc igitur boni viri facile iudicare poterunt, falsissimam hanc criminationem esse, quod iuge sacrificium aboleamus." l. c. p. 261. „In hoc articulo de missa Concilium potissimum sudabit et consummabitur. Etsi enim possibile esset, ut omnes reliquos articulos nobis concederent, tamen hunc concedere non poterunt, quemadmodum Campegius Augustae dixit, se prius omnia tormenta, membrorum dilaniationem et mortem passurum, quam missam missam facturum esse. Et ego etiam per Dei opem in cineres corpus meum redigi et concremari patiar prius, quam ut missarium ventrem, vel bonum, vel malum, aequiparari Christo Iesu, Domino et Servatori meo, aut eo superiorem esse feram. Sic scilicet in aeternum disiungimur et contrarii invicem sumus." Art. Smalc. p. 307. V. Chemnitii Examen conc. Trid. P. II. loc. VI. p. 459. Io. Franc. Buddei diss. Clementem rom. atque Irenaeum non favere Missae Pontificiae in Miscell. sacr. P. I. p. 1 sqq. Ge. Calixti de Pontificio Missae Sacrificio Tract. Francof. 1614. 4. Eiusd. de Missis Solitariis exercitatio. Helmst. 1647. 4. Cfr. Io. Fr. Cotta in Supl. ad Gerhardi Loc. theol. de sacra coena. T. X. p. 446 sqq.

§. 43.

Ordinis sacramentum esse, a Protestantibus negatur, quamquam sacram esse rem piumque actum conceditur. Est autem Catholicorum hoc Sacramentum ritus, a solo episcopo administrandus, quo manu imposita alicui potestas traditur, sacrificium corporis Christi offerendi, nec non peccata remittendi et retinendi. Probare conantur ex singulari sua, quam de sacrificio et munere sacerdotum conceperunt, notione. Hinc visibile sacerdotium, hinc sacerdotis

conficientis et offerentis dignitas. Protestantes autem sacerdotes suos in praedicando primum verbo Dei, deinde in Sacramento administrando versari docent, et quamquam munere, tamen re ipsa non esse a laicis diversos, quos sacerdotes etiam appellare licet. Qua in re accuratius explicanda in diversas partes abeunt Protestantes et Catholici, ita, ut hac potissimum doctrina de Sacramento ordinis Hierarchiae suae multiplicem formam et varia officia tueantur Catholici.

Sess. XXIII. cap. 1. „Cum in N. T. sanctum Eucharistiae sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse, visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est, hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem eius, nec non et peccata dimittendi et remittendi, sacrae literae ostendant et Catholicae Ecclesiae traditio semper docuit." Et deinde „cum scripturae testimonio, apostolica traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere et ptoprie unum ex septem sanctae Ecclesiae Sacramentis." l. c. c. 3. can. 1. 3. 4. 6. 7. 2. cfr. Sess. XXII. cap. 1. Bellarm. T. II. Contr. gen. V. libro de Sacr. Ord. p. 32. Bossuet Exp. d. cath. cap. 9.

Apologia p. 264 sqq. „Sacerdotium N. T. est ministerium Spiritus. Ideo unicum habet sacrificium Christi satisfactorium et applicatum pro peccatis aliorum. Ceterum nulla habet sacrificia similia leuiticis, quae ex opere operato applicari pro aliis possint, sed exhibet aliis Euangelium et Sacramenta, ut per haec concipiant fidem et Spiritum sanctum, et mortificentur et vivificentur, quia ministerium Spiritus pugnat cum applicatione operis operati. Est enim ministerium Spiritus, per quod Sp. S. efficax est in cordi-

bus, quare habet tale ministerium, quod ita prodest aliis, cum in eis efficax est, cum regenerat et vivificat eos. Id non fit applicatione alieni operis pro aliis ex opere operato." Apol. p. 265.

CAP. 6.

DE CVLTV SANCTORVM, RELIQVIARVM ET IMAGINVM.

§. 44.

Monent Catholici, veram his de rebus ecclesiae sententiam sedulo distinguendam esse a crassis superstitionibus et consueta ecclesiarum praxi. Ac primum quidem Tridentina Synodus Sanctos invocare docet bonum et utile esse, deinde, eorum oratione et intercessione magna nobis beneficia impertiri, postremo mediatores, quamquam non redemtionis et satisfactionis, tamen intercessionis esse voluit propteraque in eorum honorem et memoriam missas celebrandas. Ceterum inter λατρειαν et δουλειαν distinguere solent, quod quidem discrimen ex Protestantium sententia re ipsa nullum est. Et omnino Sanctos quamquam venerandos docent, tamen invocationis honore persequendos esse negant. Ea enim nusquam sacris literis praescripta aut commendata invenitur, verae christianorum antiquitati et consuetudini prorsus contraria est, ac tali honore et merito Christi et Dei erga homines beneficiis nimium derogari docetur.

„Mandat sancta Synodus omnibus episcopis et ceteris docendi munus curamque sustinentibus, ut iuxta catholicae et apostolicae ecclesiae usum, a primaevis christianae religionis temporibus receptum, sanctorumque patrum consensionem et sacrorum conciliorum decreta imprimis de Sanctorum intercessione, invocatione, Reliquiarum honore et legitimo Imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse, suppliciter eos invocare et ob beneficia impetranda a Deo per filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster redemtor et salvator est, ad eorum orationes, opera, auxiliumque confugere; illos vero, qui negant, Sanctos, aeterna felicitate in coelo fruentes, invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Iesu Christi, vel stultum esse, in coelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire." Sess. XXV. Catech. rom. P. IV. c. 6. qu. 2. 3. „Etsi ob eam etiam causam magis colendi et invocandi sunt Sancti, quod pro salute hominum preces assidue faciunt, multaque eorum merito et gratia Deus in nos confert beneficia." l. c. P. III. c. 2. qu. 5. In Professione articulus iuramenti est, invocandos esse sanctos: „Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre atque eorum reliquias esse venerandas.— „Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum missas ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit, unde nec sacerdos dicere solet; offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo; de illorum victoriis gratias agens eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris." Sess. XXII. cap. 3. „Hinc duos adhibemus precandi formulas, modo differentes: ad Deum enim proprie dicimus: Miserere nobis, Audi nos; ad Sanctum: Ora pro nobis." Catech. rom. P. IV. c. 6. qu. 3. Bellarmin de Sanct. beat. l. I. c. 7. 8 sqq. 17. 20. Tom. II. p. 719. „Apparet igitur, ex concilii mente Sanctos invocare nihil aliud esse, quam ad eorum confugere preces, ad beneficia per Christum a Deo impetranda. Nam re ipsa per Christum solum inque eius nomine conse-

quimur, quodcunque consequimur intervenientibus Sanctis, cum ipsi Sancti non nisi per Christum orent, nec nisi in eius nomine exaudiantur. Haec est ecclesiae fides etc." Bossueti expositio doctrinae cathol. c. 4.

Discrimen esse nullum inter λατρειαν et δουλειαν abunde demonstravit Io. Dallaeus advers. Latinor. de cultus religios. obiecto traditionem l. I. c. 5. p. 19 sqq. „De cultu Sanctorum docent, quod memoria Sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum et bona opera iuxta vocationem, — Sed scriptura non docet invocare Sanctos, seu petere auxilium a Sanctis; quia unum Christum nobis proponit mediatorem propitiatorem, pontificem et intercessorem." August. Conf. p. 19. „Atque etiam illud dicunt sine testimonio scripturae, quod, ut verecundissime dicatur, tamen obscurat officium Christi et fiduciam misericordiae debitam Christo transfert in Sanctos. Fingunt enim homines, Christum duriorem esse et Sanctos placabiliores et magis confidunt misericordia Sanctorum, quam misericordia Christi et fugientes Christum quaerunt Sanctos. Ita faciunt ex eis reipsa mediatores redemtionis." Apologia p. 225. Art. Smalc. p. 230.

§. 45.

Eadem etiam reliquiarum et imaginum ratio est, quarum adorationem non postremam religionis partem ducunt. Et Synodus quamvis abusus tollendos esse fateatur, tamen generali suo decreto non sigillatim enumerat, nec funditus exstirpat. Non enim reiecit Scholasticorum his de rebus commenta, ex quibus et merita Sanctorum interponuntur, et magica quaedam vis reliquiis et imaginibus tribuitur et omnibus superstitionibus aditus paratur. Imo praecepit talem imaginum venerationem, qualem Pseudosynodus septima approbauit. Quae quum, ex Protestantium certe opinione crassas et adversa fronte cum verbo diuino pugnantes superstitiones, invocatio-

nem et adorationem imaginum introduxerit, inde iam intelligi potest, quid sibi velit Tridentinum, ubi de abrogandis quae irrepserint pudendis superstitionibus concionatur.

„Sanctorum quoque martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur: ita, ut affirmantes, Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari atque eorum opis impetrandae causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout iam pridem eos damnavit et nunc etiam damnat ecclesia. Imagines porro Christi Deiparae virginis et aliorum Sanctorum, in templis praesertim habendas er retinendas eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non, quod credatur inesse aliqua in iis diuinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant: ita, ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum. — Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione et imaginum sano usu tollatur, omnis turpis quaestus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur — nihil (in festis diebus) inordinatum aut praepostere aut tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo etc." Sess. XXV. decr. de inv. et vener. et rel. Sanct. et sacr. imag. Cfr. Prof. fidei et Catech. rom. P. III. c. 2. 9. 8. 10. 14. „Profitemur, non alia causa uti imaginibus, quam ut animum ad coelum tollamus, ubi aut Christum, aut Sanctos, in iisque ipsum Deum, Sanctitatis omnis et gratiae autorem, veneremur. Eodem sensu accipiendus est honos,

quem prima ecclesiae imitati tempora sacris reliquiis exhibemus. Neque enim si perpenderent adversarii, Sanctorum nos corpora respicere ut victimas, olim Deo martyrio vel poenitentia consecratas, crederent, nos honore eis hoc animo exhibito ab honore ipsi Deo exhibendo dimoveri." Bossueti exp. doct. cath. c. 5. p. 38. De meritis Sanctorum Petri Lomb. Sententt. l. 4. Dist. 45. p. 432. Bonavent. Sententt. l. 4. Dist. 4. art. 3. qu. 2. Non repugnante ipso catech. rom. l. 5. Acta Syn. VII.

Io. Ranoldi de rom. eccles. Idololatria in cultu Sanctor. Reliquiarum, Imaginum etc. libri duo. Oxon. 1596. 4. Io. Dallaei de Imaginibus libri IV. Lugd. Bat. 1642. 8. Eiusd. advers. latinor. de cultu relig. obi. trad. libro praesertim IV.

CAP. 7.

DE PVRGATORIO.

§. 46.

Huius doctrinae, quam Spiritu S. edocta Synodus ex sacris literis, ex antiqua PP. traditione et sacris conciliis habere affirmat, principia et stamina fere haec sunt: 1. esse praeter locum beatorum et damnatorum tertium aliquem post hanc vitam constitutum, ubi 2. quorundam, qui in vera fide defuncti sint, animae igne torqueantur, priusquam ad requiem et beatitudinem transferantur; 3. viventium deinde suffragiis, eleemosynis, missarum sacrificiis, ieiuniis, aliis pietatis operibus iuvari animas easque citius liberari a tormentis purgatorii; 4. esse igitur locum veniae et remissionis peccatorum, quae, dum viverent, nulla ratione remitti potuerint.

Loquitur hac de re Synodus ὡς ἐν παρόδῳ primum Sess. VI. Can 30: „Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, et reatum aeternae poenae deberi dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc seculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit, anathema sit." Deinde Sess. XXII, cap. 2. sub fin. „Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo nondum ad plenam purgatis, rite, iuxta Apostolorum traditionem offertur." Denique Sess. XXV, in decr. de Purgatorio: „Cum catholica ecclesia, Sp. S. edocta, ex sacris literis et antiqua PP. traditione, in sacris conciliis et novissime in hac oecumenica Synodo (vid. l. c.) docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari, praecipit S. Synodus episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, a sanctis patribus et sacris conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique praedicari diligenter studeant." l. c. Professio fidei haec habet: „Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari." Et catech. rom. „Praeterea est purgatorius ignis, quo piorum animae ad definitum tempus cruciatae expiantur, ut eis in aeternam patriam ingressus patere possit, in quam nihil coinquinatum ingreditur. Ac de huius quidem doctrinae veritate, quam et scripturarum testimoniis et apostolica traditione confirmatum esse sancta concilia declarant, diligentius et saepius Parocho disserendum erit, quod in ea tempora incidimus, quibus homines sanam doctrinam non sustinent." P. I. c. 6. qu. 3. „Ea est vis huius sacrificii (missae), ut non solum immolanti et sumenti prosit, sed omnibus etiam fidelibus, sive illi nobiscum in terris vivant, sive iam in Domino mortui, nondum plane expiati sint. Neque enim minus ex Apostolorum certissima traditione pro his utiliter offertur, quam pro vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, ac quibusvis calamitatibus et angustiis." l. c. P. II. c. 4. qu. 63. Cfr. Canisii Catech. qu. 9. de poenit. Bellarmin. de Purgatorio l. I. c. 1. Controv. gener. VI. De quaestione, ubi sit locus purgatorii, Bellarminus opiniones octo recenset, l. c. l. II, c. 6. p. 114.

§. 47.

5. Nam fide tantum propter Christum culpam peccati remitti, poenam vero aeternam mutari in temporalem, pro quibus tum in hac, tum in futura vita satisfaciendum sit, sive per nos, sive per alios; 6. Propterea quod sine omni macula debeat iustificatus quisque ingredi in regnum Dei, purgatorio excruciandas esse animas, ut hoc igne maculae quasi peccati excoquantur; 7. Peccata haec venialia, quae dicuntur, quae non sunt contra leges Dei, tam atrocibus suppliciis post hanc vitam expianda esse. Sed haec commenta, nonnullorum PP. inde ab Origene dictis conflata quum catholicorum ipsorum nonnulli faterentur sacris literis non contineri, a Protestantibus prorsus repudiata sunt. Hi enim culpam cum omnibus poenis simul remitti a Deo iustificatis docent. Ceterum Synodus monet, omnes difficiliores quaestiones vitandas, tum videndum, ne superstitio, lucrum et scandalum inde enascantur.

Sess. XIV. cap. 8. cfr. can. 12. 13. „Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quaestiones, quaeque ad aedificationem non faciunt et ex quibus plerumque nulla sit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item vel quae specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quae ad curiositatem quandam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, et fidelium offendicula prohibeant. Curent autem episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynae, aliaque pietatis opera, quae a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum ecclesiae instituta pie et devote fiant etc." Sess. XXV. decr. de Purg. De peccatis venialibus vid. Bellarm.

de amissa grat. et statu pecc. l. I. c. 9. Disputat. Tom. IV. p. 78.

Singularis est S. Augustini hac de re opinio, quam profitetur in libro de cura pro mortuis ad Paulinum Nolanum c. 1 sqq. c. 18. ad Dulcitium quaest. 2. De civit. Dei l. YXI. c. 13. 14. Enchirid. c. 69. de verbis Apostoli Serm. 32.

Apologia p. 164 sqq. 184. 188 sqq. p. 273. Art. Smalc. p. 307 sqq. Catholicorum, qui sacris scripturis probari purgatorium posse negant, testimonia collegit Gerhardus in Confessione cathol. l. II. P. II. art. 9. p. 941 sqq. Cfr. Calixti de igne purgatorio dissert. Helmst. 1650. 4. Forbesii Instructt. hist. theol. l. 13. Bayeri diss. de Purgatorio Pontificiorum, utrum claris testimoniis Augustini solide probari possit. In decad. II. Dispp. theolog. M. Chemnitii ex. conc. trid. P. III. p. 732 sqq. Hoepfner de orig. dogm. rom. pontif. de Purgatorio 1792.

CAP. 8.

DE INDVLGENTIIS.

§. 48.

Quibusnam potissimum rebus constent indulgentiae, non magis exposuit Synodus, quam quid sit purgatorium. Esse tantum utramque rem, nec parum facere ad salutem, semperque fuisse in usu, satis habuit indicare et ad credendum proponere. Ex ingenio itaque et consuetudine ecclesiae paululum recentiori et ex scriptis clarissimorum doctorum ea res repetenda est. Est sicuti de purgatorio, ita etiam de indulgentiis doctrinae locus in articulo de satisfactionibus. Quum enim poena tempora-

lis maior sit, quam ut a quoquam hac in vita exsolvi possit, non solum purgatorium adest, ubi luendae sunt, quae hac in vita non exsolvebantur poenae, sed etiam ecclesia succurrit cum potestate, quam dicit, sibi divinitus tradita, quae indulgentiis suis poenas, quas vel canon poenitentialis, vel divina iustitia exigit, vel omnino, vel ex parte aliqua remittit, ubi certo et praescripto modo, vel pecunia, vel operibus redimuntur h. e. si id praestatur, quod in forma et literis indulgentiarum positum est ac postulatum.

Continuatio Sess. XXV. Decr. de indulg. „Cum potestas conferendi indulgentias a Christo ecclesiae concessa sit atque huiusmodi potestate, diuinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illâ usa fuerit, sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in ecclesia retinendum esse docet et praecipit eosque anathema damnat, qui aut inutiles esse afferunt, vel eas concedendi in ecclesia potestatem esse negant." Eadem fere verba habet Professio fidei. Quis olim fuerit indulgentiarum usus v. ap. Bingham Origg. eccles. l. VIII. c. 4. §. 9. Vol. VIII. p. 178 sqq. Chemnitium in exam. conc. trid. P. IV. p. 87 sqq. Petr. de Marca de concordia sacerdotii et imperii l. III. c. 13. § 2 sqq. p. 280 sqq. Muratorii Dissert. de redemt. peccat. et indulgentiar. origine; in Antiquitatt. Ital. med. aevi. Tom. V. p. 711. Planck Gesch. d. prot. Lehrbegr. I. pag. 30 sqq.

§. 49.

Nititur autem ea ecclesiae postulatio thesauro quodam ecclesiastico operum supererogationis Sanctorum et meritis passionis Christi superabundantibus in thesaurum

ecclesiae congestis, quemadmodum Scholastici fabulantur. Ceterum Synodus et moderationem commendat in impertiendis indulgentiis et abusus non sigillatim nominatos et corruptelas non speciatim explicitas tolli generaliter vehementer cupit. Quod tamen non impedivit, quominus merces hae indulgentiarum venales et nundinationes inde a primis ecclesiae restauratae initiis a Protestantibus damnatae fuerint.

Bellarm. d. indulgentiis l. I. c. 1. Tom. III. p. 1145. „Cum igitur aspera peccatoribus et laboriosa opera iniungit ecclesia, iique illa submisso animo subeunt; ea dicitur satisfactio; cum autem propter eximiam poenitentiam, pietatem, aliave bona opera, quae iis ipsa praescripserit, e debita aliquid ipsis poena remittit, ea dicitur indulgentia." Bossueti expos. doctr. cathol. c. 8. §. 70. Conc. trident. indulgentias vocat coelestes ecclesiae thesauros Sess. XXI. decr. de reform. c. 9. „In his tamen concedendis moderationem iuxta veterem et probatam in ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt, quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab haereticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, praesenti decreto generaliter statuit, pravos quaestus omnes pro his consequendis, unde plurima in christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocunque provenerunt, cum ob multiplices locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus episcopis, ut diligenter quisque huiusmodi abusus ecclesiae suae colligat etc." Sess. XXV. cont. decr. de indulg.

Apol. p. 165. Art. Smal. p. 324 sqq. Gerhard conf. cathol. p. 1398 sqq. „Cogitarunt homines fore, ut Tridentinum concilium, si pontificias illas indulgentias non prorsus damnare et abiicere vellet, earum tamen mentionem sepeliret vel approbationem suspenderet, sicut astutiores inter Pontificios scriptores his temporibus facere consueverunt. Sed ecce in ultima

sessione (sicut iuxta proverbium diabolus solet relicto post se foetore discedere) peculiare decretum de indulgentiis retinendis et dispensandis fabricant." Chemnit. ex. conc. trid. P. IV. p. 69.

CAP. 9.

DE REBVS NONNVLLIS CIRCA FIDEM VERSANTIBVS, INTER VTRAMQVE ECCLESIAM CONTROVERSIS.

§. 50.

Prohibuit ecclesia catholica sacerdotibus matrimonium contrahere. Et status controversiae hic est. Asserit, solos coelibes ad munus ecclesiasticum rite fungendum idoneos, iugumque coelibatus omnibus sine discrimine sacerdotibus imponendum. Habuit eius rei olim ecclesia varias caussas: quae vero ex S. S. et ecclesiae antiquitate sumi solent, nullae omnino sunt, cum ex Protestantium, tum ex ipsorum Catholicorum multorum sententia. Perniciosa haec lex coelibatus, quum etiam illis imponitur, qui donum continentiae non habent, flagitiosa multorum sacerdotum facinora et scandala peperit. Quo magis dolendum, quod Tridentinum concilium hanc legem, non tam tanquam disciplinae, quam doctrinae caput denuo repetiit ac promulgavit: anathematis enim fulmine percussit eos, qui contrarium docerent.

„Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solenniter professos,

posse matrimonium contrahere contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto et oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, etiamsi eam noverint, habere donum, anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur, nos supra id, quod possumus, tentari." Sess. XXIV. de Sacr. matrim. can. 9. Bellarm. de clericis. L. I. cap. 18 sqq. in Controv. gener. V. Tom. I. Innumera sunt clericorum nostri temporis contra coelibatum scripta: novissimum est inscriptum: Das kirchliche Coelibatgeboth in seinen Verhältnissen zur Religion, Sittlichkeit und Politik. Mit einem Anhange der Geschichte alles dessen, was sich auf dem Concil zu Trient, in Beziehung auf die Frage über die Priesterehe zugetragen hat, und einem Abriſs der Geschichte des Coelibats. Von einem Teutschen. 1811. 8.

Aug. Conf. p. 21 sqq. Apol. p. 236. Art. Smalc. pag. 334. Io. Andr. Schmidii diss. de apostolis uxoratis. Helmst. 1704. 4. Io. Georg. Geret Commentat. de clericor. coniugio. Onold. 1751. 4. Georg. Calixti de coniugio clericor. tract. Helmst. 1631. 4.

§. 51.

Improbant porro Protestantes ecclesiasticas omnes de ieiuniis et delectu ciborum leges nimiamque dierum festorum multitudinem: omnibus enim his onerari cruciarique conscientias, superstitiosas opiniones admisceri, verum autem Dei cultum humanis penitusque liberis pietatis exercitiis ac ritibus facile postponi solere perhibent. Non igitur damnant ieiunia, certosque festorum dies, sed libera piis animis illa relinquunt, et horum paucitatem sapienter constituunt, ne ultra Evangelii praescripta evagetur cultus diuinus. Quod enim Ecclesiae statutis atque propositis his in rebus servandis maxime obsequendum esse docet Concilium, tales traditiones non sine probabili

caussa tanquam periculosos conscientiarum laqueos reiiciunt.

„Insuper hortatur S. Synodus et per sanctissimum Domini nostri atque Salvatoris adventum pastores omnes obtestatur, ut, tanquam boni milites, illa omnia, quae S. rom. Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater et magistra, statuit, nec non ea, quae tam in hoc concilio, quam in aliis oecumenicis statuta sunt, quibuscunque fidelibus sedulo commendent omnique diligentia utantur, ut illis omnibus et iis praecipue sint obsequentes, quae ad mortificandam carnem conducunt; ut, ciborum delectus et ieiunia, vel etiam, quae faciunt ad pietatem augendam, ut dierum festorum devota et religiosa celebratio, admonentes populos crebro, obedire propositis suis, quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient, qui vero contemnunt, Deum ipsum ultorem sentiunt." Sess. XXV. Decr. de del. cib. ieiun. et dieb. fest. Cfr. Melch. Cani Summa doctr. christ. p. 58. 159. Benedicti p. r. XIV. de ieiunio ecclesiast. edictum in Act. hist. eccles. Vol. 14. p. 678.

Aug. Conf. p. 28. „Publica persuasio fuit non tantum vulgi, sed etiam docentium in Ecclesiis, quod discrimina ciborum et similes traditiones humanae sint opera utilia ad promerendam gratiam et satisfactoria pro peccatis. Et quod sic senserit mundus, apparet ex eo, quia quotidie instituebantur novae ceremoniae, novi ordines, novae feriae, nova ieiunia et doctores in templis exigebant haec opera tanquam necessarium cultum ad promerendam gratiam et vehementer terrebant conscientias, si quid omitterent. Ex hac persuasione de traditionibus multa incommoda in Ecclesia secuta sunt." „Homines admonentur, quod talis cultus non iustificet coram Deo et quod non sit ponendum peccatum in talibus rebus, si omittantur sine scandalo. Haec libertas in ritibus humanis non fuit ignota patribus." l. c. pag. 31. Apologia pag. 213. 214. Chemnitii Ex. conc. Trid. P. IV. pag. 123 sqq. Frid. Vlr. Calixti diss. de ieiunio, Helmst. 1676. 4. Io. Dallaei de ieiuniis et Quadragesimal. Daventr. 1654. 8.

§. 52.

Omnis denique ceremoniarum multitudo ac splendor, ex interna catholicae fidei natura progrediens, ad disciplinam variis temporum ac locorum rationibus accommodatam pertinens nonnulla habet universaliora et catholica. Hunc in censum veniunt praescriptus missarum ordo, ritus in eorum celebratione observandi et latinae linguae usus. Quae omnia, suo quidem loco necessaria et fidei convenientia, tamen quum ex ambiguo traditionum fonte derivari soleant, haud pauca et contra institutum divinum et contra historiam continere, nec raro superstitionibus ansam praebere videntur Protestantibus.

„Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad veram diuinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam summissa voce, alia vero elatiore in missa pronunciarentur, instituit; ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione; quo et maiestas tanti sacrificii commendaretur et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur." Sess. XXII. c. 5. de solennib. missae cerem. „Si quis dixerit, ceremonias, vestes, et externa signa, quibus in missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit." Can. 7. Etsi missa magnum contineat populi fidelis eruditionem: non tamen expedire visum est patribus, ut vulgari lingua passim celebraretur, quamobrem retento ubique cuiusque Ecclesiae antiquo et a sancta rom. Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant et non sit, qui frangat eis, mandat S. Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem, vel

vel per se, vel per alios, ex iis, quae in missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis et festis." l. c. cap. 8. et can. 9. Bona de rebus liturg. l. I. c. 5. p. 52. c. 7. p. 83. c. 24. p. 404; pertinet huc totus operis liber secundus inde a p. 533.

„Quid hoc aliud est, quam colere Deum auro et argento et rebus pretiosis, i. e. sentire, quod Deus fiat placatus varietate vestitus, ornamentorum et similibus ritibus, quales sunt infiniti in traditionibus humanis?" Apol. p. 209. „Vere praedicare possumus, publicam formam Ecclesiarum apud nos honestiorem esse, quam apud adversarios. Apud adversarios missas faciunt sacrificuli inviti, et mercede conducti et plerumque tantum mercedis caussa, canunt Psalmos, non ut discant aut orent, sed cultus caussa, quasi illud opus sit cultus aut certe mercedis caussa. Apud nos utuntur coena domini multi singulis dominicis, sed prius instituti, explorati et absoluti. Pueri canunt Psalmos, ut discant, canit et populus, ut vel discat vel oret. Apud adversarios nulla prorsus est κατηχησις puerorum, de qua quidem praecipiunt canones. Apud adversarios in multis regionibus toto anno nullae habentur conciones, praeterquam in quadragesima. Atqui praecipuus cultus Dei est, docere Evangelium. Et cum concionantur adversarii, dicunt de traditionibus humanis, de cultu sanctorum et similibus nugis, quas iure fastidit populus etc." l. c. p. 212. „Adversarii longam declamationem habent de usu latinae linguae in missa, in qua suaviter ineptiunt, quomodo prosit auditori indocto in fide Ecclesiae missam non intellectam audire, videlicet fingunt, ipsum opus audiendi cultum esse et prodesse sine intellectu. — Latinam linguam retinemus propter hos, qui latine discunt et intelligunt. Et admiscemus germanicas cantiones, ut habeat et populus, quod discat et quo excitet fidem et timorem." l. c. p. 250 sqq. Referendi huc etiam sunt Catholicorum nostri temporis hac de re scripta nonnulla. Werkmeister an die Mainzer Journalisten über die deutsche Meſs-Abendmahlsanstalt in der herzogl. Hofcapelle. Stuttg. 1787. 8. Eiusd. Beiträge zur Verbesserung d. kathol. Liturgie in Deutschland. 1. Heft. Vlm 1789. 8. Entwurf eines neuen Rituals von einer Gesellschaft kath. Geistl. im Bisthum Constanz. 1806. Winter Liturgie, was sie seyn soll, oder Theorie der öffentlichen Gottes-

verehrung. Eiusd. Versuche zur Verbesserung d. kathol. Liturgie. Erster Versuch. Prüfung des Werthes unserer liturg. Bücher. München 1804. 8. Ei. Erstes, deutsches, kritisches Meſsbuch. Landsh. 1810. 8. p. 51 sqq.

CAP. 10.

DE EXTERNO STATV ET PERICVLIS REVNIONVM FACTIS.

§. 53.

Quemadmodum Protestantium externa societas per regiones Europae septemtrionales maxime diffusa est, ita Catholicorum Ecclesia meridianas potissimum occupavit. Vtraque externae huic propagationi et internae fidei convenientem expressit externi sui status formam ac vitae rationem. Secundum diversam ipsius naturam utraque fecit ad excolendas literas et artes, sibique et reipublicae formam elegit aptissimam. Vbicunque terrarum utraque Ecclesia nostris temporibus non solum fertur, sed etiam, ubi et numero et viribus altera regnans prae altera eminet, tamen alterius etiam coetum admittit. Quamquam enim exstinctum plane esse odium vetus, exstirpatamque invidiam dici non possit, tamen fraterno Christi vinculo utramque contineri, quotidie magis perspicitur.

Charles Villers essay sur l'esprit et l'influence de la reformation de Luther.

Breitenbauch Religionszustand der verschiedenen Länder der Welt, nebst einer Karte, herausg. von J. E. Lange. Leipz. 1781. 8. G. H. Kasche Ideen über religiöse Geographie. Lübeck 1795. 8. C. Fr. Stäudlin kirchl. Geographie und Statistik, Tüb. 1804. 2 Vol. 8.

§. 54.

Nihilo tamen minus reconciliationis consilia saepius inde fere ab initio dissensionis capta sunt. Quae cuncta humanis fere omnibus viribus tentata tamen felici euentu hactenus carebant. Manifestum est, catholicam inde Ecclesiam fructum haud exiguum omneque augmentum capere, rebus quidem leuioribus ab illa condonatis atque concessis in gravioribus ne latum quidem unguem a sententia sua et praxi recedere velle, ac ne minimum quidem in articulis fundamentalibus largiri posse. Innumera sunt, quibus iam Sec. XVI. Imperatores, Theologi et Episcopi hunc in finem uti solebant remedia cum polemica, tum irenica s. methodi, quarum septemdecim maxime iactabantur. Neque defuere inter Protestantes, qui aut astutia aut pacis amore capti concordiae ineundae spe vana se decipi paterentur. Ac pertinent huc praecipue primo, quae Sec. XVII. a Romm. pontificibus maximis et nonnullis episcopis moliebantur, deinde quae inter Richelium Cardinalem et Protestantes in Gallia, tum quae a Ge. Calixto et Io. Fabricio, tandem quae a Bossueto cum Molano et Leibnitio, postremo, quae nostris diebus in Gallia hac de re acta sunt.

Erasmus Rot. de amabili ecclesiae concordia, prim. ed. 1533. postea a Herm. Conring. Helmst. 1650. 4. Biecks dreyfaches Interim. Lips. 1721. 8. Ge. Cassandri consultatio de artic. relig. inter cathol. et prot. controv. ad Impp. Ferd. I. et Max. II. 1564. Ei. de officio pii ac publicae tranquillitatis vere amantis viri in hoc religionis dissidio. Basil. 1559. 8. Vterque liber editus

est ab Hug. Grotio. Paris. 1642. 8. ab Herm. Conring 1659. 4. Ge. Wicelii via regia s. de controversis rel. capitibus conciliandis sententia. 1564. ed. Herm. Conring. Helmst. 1650. 4. Conferences des Protestans opposées aux XVII. methodes du clergé de France. à Par. 1682. 12. Scripta du Perronii, Veronii, Nihusii Adr. et Pet. de Walenburch, Armandi Richelii, aliorum v. ap. Walch. Bibl. theol. sel. II. p. 309 sqq. Consultatio de modis, Lutheranos Germaniae principes ad Ecclesiae communionem reducendi et Cath. relig. exercitium in liberas imperii civitates inducendi, in Moser patriot. Archiv VI. p. 367. cfr. V. p. 277. Schlegel Kirchenг. d. achtz. Jahrh. I. p. 904 sqq. De la reunion des Protestans de Strasbourg à l'Eglise romaine, également necessaire pour leur salut et facile selon leurs principes. à Strasb. 1687. 1698. 8. Speners theol. Bedenken. I. p. 95 sqq. Io. Fabricii Consid. controvers. quae evangelicos inter et romano-cath. reformatosque agitantur. Helmst. 1715. 4. Super reunione Protestantium cum Ecclesia cath. Tract. inter I. B. Bossuetum, episc. Meld. et D. Molanum, Abbatem in Lockum. Viln. 1782. 4. etiam in Oeuvres posth. de Isc. Ben. Bossuet. à Amst. T. I. p. 3 sqq. p. 37 sqq. Schlegel l. c. p. 909. De la tolerence des religions, lettres de Mr. de Leibniz et reponses de Mr. Pelisson. 1692. 12. A circumstantial and exact account of the correspondence, that was carried on in the year 1717. and 1718. between D. Will. Wacke — to a project of union between the englisch and gallican churches in Maclanii app. ad vers. anglic. Hist. ecclesiast. Moshemii p. 20 sqq. Allgem. deuts. Bibliothek Vol. 53. p. 97 sqq. Projet de reunion de toutes les communes chretiennes par Mr. de Beaufort, Juris-Consulte, à Par. 1805. La religion catholique triomphante de l'erreur, à Par. 1805. Details historiques et recueil des pieces sur les divers projets de reunion de toutes les communes chretiennes, par Rabaut le jeune. à Par. 1806. Reponse à la lettre de Mr. l'Archevecque de Besançon par Mr. Beaufort. à Par. 1807. De la reunion des communes chret. ou l'hist. des negociations, conferences, correspondences, projets et plans, qui ont été formés à ce sujet, par Mr. Tabaraud. à Par. 1808. G. J. Planck Worte des Friedens an die kath. Kirche gegen ihre Vereinigung mit der prot. Gött. 1809. 8. Ueber das wahre Verhältnifs des Katholicismus u. Protestantismus und die projectirte Kirchenvereinigung. Briefe an Hr. C. R. Planck. Heidelberg 1810. 8.

DOCTRINA LVTHERANORVM ET REFORMATORVM.

DOCTRINA
LVTHERANORVM
ET
REFORMATORVM.

CAP. I.

DE ORIGINE DISSENSVS INTER LVTHERANOS ET REFORMATOS.

§. 55.

Natum primum inter Lutherum et Carolostadium de sacra coena dissidium insanabile mox factum est, quum Vlricus Zwinglius et Oecolampadius ad coeptum ab illis certamen accederent. Fortiter deinde dimicabatur inter viros illos scriptis ab utraque parte editis: conventus coacti: colloquia ad restituendam pacem instituta felici eventu carebant. Communi primum Protestantium et Evangelicorum nomine insigniti deinde discernebantur ita, ut Lutherani Protestantes, Zwinglii vero doctrinae assen-

tientes in Gallia primum Reformati dicerentur, a Catholicis autem nomine eorum, qui reformati velint videri (les prétendus reformés), et Hugonotti. Pace denique Osnabrugensi Reformati quoque in eorum societatem recepti sunt, qui Aug. Conf. addicti nominabantur.

Luthers sämmtliche Schriften. ed. J. G. Walch XX. Theil. cfr. eiusd. Einleitung in die Streitigkeiten Lutheri mit den Sacramentirern l. c. p. 1—71. Zwinglii Opp. Basil. 1593. 4. Voll. fol. De Oecolampadii scriptis v. Walch. l. c. et in Bibl. theol. scl. II. p. 424. Cfr. Ioh. Iac. Hottinger Hist. eccles. helvet. P. III. l. 6. p. 12 sqq. Paul. Ern. Iablonsky Institut. hist. christ. rel. Sect. III. p. 29 sqq. Rud. Hospiniani Hist. sacramentariae Pars posterior, ed. nov. Genevae 1681. fol. Ludolph. Lavateri Historia de Orig. et Progressu controv. sacramentariae de coena Domini ab a. nativ. Chr. 1523. usque ad a. 1563. deducta. Tiguri, 1563. ed. etiam 1672. 8. Ruchat Histoire de la reformation de la Suisse. Genevae 1727. 6 Voll. 12. Vie de Vlrich Zwingle, par Mr. Hefs. 1809. 8. germ. vertit Vsteri. 1810. 8. Löscher ausführliche Historia motuum zwischen den evangel. luth. und reformirten. 3 Voll. ed. 2. Francof. et Lips. 1723. 4. Planck Geschichte d. prot. Lehrb. I. II. et III. Id. über die Trennung und Wiedervereinigung der getrennten christlichen Hauptpartheyen. Tüb. 1803. 8. p. 111 sqq. Instr. Pac. Osnab. art. VII. §. 1. Mosheim Kirchenr. herausg. von C. A. Günther p. 234. Georg Wiese Grunds. des gem. in Teutschl. übl. Kirchenr. Gött. 1805. 8. p. 498.

§. 56.

Exstitit autem clarissimus Genevensis Ecclesiae praeceptor Iohannes Calvinus, qui non solum illam de coena domini doctrinam vehementer commutavit, sed controversiae etiam alterum caput addidit, quod est de praedestinatione. Qui cum utrumque locum summo ingenio et eximia eru-

ditione pietateque defenderet, inita cum Tigurinis, Bernensibus, aliisque Helvetiae Ecclesiis concordia, auctoritate, qua pollebat, maxima, eloquentia, epistolis, discipulis ad alios populos emissis efficiebat, ut Zwinglianismo, qui totus erat in tenenda sua de sacra coena doctrina Calvinismum annecterent et singularem etiam de absoluto Dei decreto sententiam susciperent plurimi.

Ioh. Calvini Opp. Aust. 1667. Voll. IX. fol. Adami vitae Theologorum exter. princ. p. 32 sqq. Ruchat Hist. de la reform. de la Suisse. T. V. l. 14. p. 610. Henr. Bullingeri Opp. 1582. Voll. X. Adami l. c. p. 217. De Theodoro Beza, Petro Mart. Vermili, Farello, Vireto, Ioh. a. Lasco v. Adami l. c. p. 101. 24. 57. 61. 10. Schlosser Leben des Theod. de Beze und des P. Martyr Vermili. Heidelb. 1809. 8. Iac. Basnage Histoire de la religion des eglises reformées, dans laquelle on voit la succession de leur eglise, la perpetuité de leur foi, principalement depuis le huitieme siecle, l'etablissement de la reformation, la perseuerence dans les mêmes dogmes, depuit la reformation jusqu'à present. Prima ed. Roterod. 1690. 8. post auct. obitum 1725. 2 Voll. 4. Oppositum erat libro Bossueti celeberrimo, inscripto: Histoire des variations des eglises protestantes. à Par. 1734. 4 Voll. 12.

§. 57.

Accessit denique Synodi Dordracenae a. 1618. contra Arminianos s. Remonstrantes habitae auctoritas, quae nimium quantum fecit ad stabiliendam cum internam tum externam discordiam. Quemadmodum enim inde aucta sunt domestica dissidia, sibique opposita Remonstrantium et Contraremonstrantium singularia dogmata, orta Supralapsariorum et Infralapsariorum, Particularistarum et Vniversalistarum, Hypo-

theticorum et Absolutorum infausta nomina et certamina, ita Lutherani inusta Arminianis pessimarum haeresium macula et labe se ipsos haud obscure damnatos videbant.

Edita sunt ab Arminianis Acta synodalia Dordracena, Harderw. 1620. 4. ab adversariis Acta Synodi nationalis Dortrechti habitae. Lugd. Bat. 1620. fol. Benthem Holländ. Kirchen- und Schulenstaat. P. I. c. 18. p. 625 sqq. Io. Halesii Historia concilii Dordraceni, lat. vert. Io. Laur. Moshemius cum var. observ. auct. vita et de auctoritate conc. Dordrac. paci sacrae noxia Consultatione. Hamb. 1724. 8. Iac. Arminii Opp. theol. Lugd. Bat. 1629. 4. De Ioh. Vetenbogardo, Philippo a Limborch, Steph. Curcellaeo v. Adr. a Cattenburgh Biblioth. script. Remonstrantium p. 136. 102. 48. De Conr. Vorstio v. Sanden Biblioth. Antitrinitariorum p. 98. Hug. Grotii Opp. omnia theologica. Amst. 1679. 4 Voll. fol. Basil. 1732. Leben des Hugo Grotius. Eine Biographie von Heinr. Luden. 1804. 8. Historia vitae Sim. Episcopii a Phil. a Limborch. Amst. 1701. 8. De Gerh. Io. Vossio, Io. Clerico, Adriano a Cattenburgh v. J. G. Walch Einl. in die Religionsstr. außer der luth K. III. p. 572 et 697 sqq. Relatio hist. de orig. et progressu controversiarum in foederato Belgio de praedestinatione in Phil. a Limborch Theologia christiana. Amst. ed. 4. 1751. Epistolae Remonstrantium. 1660. Gerh. Brandt Historia reformationis belgicae. Amst. 1671. 4 Voll. Histoire abregée de la reformation des pays-bas, traduite du hollandois de Gerard Brandt. Haag. 1726. 3 Voll. 8. Iacobus Regenboog Historie der Remonstranten kortelyk vervattende de Geschiedenissen der gereformeerde Christenen, die men Remonstranten noemt, Amst. 1774. 2. Voll. 8.

CAP. 2.

DE SYMBOLIS.

§. 58.

Diutius iam dimicatum erat, priusquam orta inter Lutheri et Zwinglii doctrinam discordia publicis etiam utrinque editis formulis declarata prodiret. Primum eius rei quodammodo testimonium publicum ab altera parte Syngramma Suevicum, ab altera confessio quatuor ciuitatum, Argentoratensis, Constantiensis, Memmingensis et Lindaviensis est, quae detrectantes subscriptionem Augustanae Confessionis singularem hanc confessionem comitiis offerebant, quemadmodum et Zwinglius suo ipsius nomine fecit. Quatuor autem illae ciuitates, postquam annis 1531. et 1532. Aug. Conf. subscripserant, concordia deinde cum Vitebergensibus inita se in Lutheranorum sententiam ac coetum retrahi passae sunt.

Syngramma clarissimorum, qui Halae Suevorum convenerunt, virorum super verbis coenae domini et pium et eruditum, ad Io. Oecolampadium (a Brentio conscriptum a. 1525.) eodem anno edi um Hal. Suev. exstat in Pfaffii Ac. et script. publ. eccles. Virtembergicae p. 153. Strobel Miscellaneen literar. Inh. P. III. p. 157 sqq. Augustana conf. art. 10. Concordia Vitembergensis a. 1536; legitur etiam in app. ad Camerarii notitiam de vita Melanchth. a Strobelio ed. p. 431. Cfr. Form. Conc. Delar. p. 729.

Confessio Tetrapolitana (a Bucero concinnata) in Corp. et Syntagm. P. I. p. 173 sqq. lingua vernacula in Luth. Opp. ed. Walch Tom. XX. novissima editio est Mülleri ad calc. formulae Confut. Aug. Conf. Lips. 1808. 8. Ad Carolum Romanorum imperatorem, Germaniae comitia Augustae celebrantem fidei Vldrichii Zwinglii ratio. Tiguri, 1530. 4. in Zwinglii Opp. II. p. 538. et in Cypriani abgedrung. Unterricht v. kirchl.

Vereinigung der Protest. Additam. I. p. 1 sqq. Quum unius tantum viri symbolum sit, non reperitur in magna illa confessionum reformatae Ecclesiae collectione, inscripta Corpus et Syntagma confessionum fidei, quae in diversis regnis et nationibus Ecclesiarum nomine authentice editae, in celeberrimis conventibus exhibitae, publicaque auctoritate comprobatae. Editio nova. Geneve 1654. 4. Cfr. Sleidan. commentar. l. VII. Georg. Coelestini Hist. comitior. a. 1530. Augustae celebrator. T. III. p. 294. IV. p. 93. Lud. Lavateri Hist. controv. sacram. p. 19 et 54. Löscher ausführl. hist. mot. l. II. c. 3. Salig Hist. der Augsb. Conf. II. c. 12. p. 490 sqq. Planck Gesch. d. prot. Lehrb. II. p. 282. III. 1. 83. 347 sqq.

§. 59.

Helveti contra sua in doctrina symbolo etiam declarata magis magisque aucto perstitere. Deinde post mortem Lutheri quum ab utraque parte mitior quaedam de sacra coena doctrina gliscere coepisset, ex coetu nimirum helvetico Calviniana, ad Lutheri doctrinam paullo propius accedens, ex Lutherano Melanchthoniana, subito Cryptocalvinismi fama omnem Ecclesiam Lutheranam personuit misereque laceravit, turbae novae motae, internae dissensiones auctae, quibus Formula concordiae a. 1580. in lucem edita tantum aberat, ut mederi potuerit, ut novarum discordiarum in animis semina sparserit, vulnusque Ecclesiae insanabile prorsus inflixerit.

Iam a. 1534. tradita erat Vitembergensibus confessio Basileensis, quae non omnino displicuit v. Hospinian P. II. p. 132. Planck III. 1. p. 359.

Confessio Helvetica s. Basileensis, composita Basileae 1536. a Bullingero, Myconio, Grynaeo, Leone Iudae et Megandro eum maxime in finem, ut universo concilio communi helveticarum civitatum nomine exhiberetur, lat. excusa 1581. in Corp. et Synt. P. I. p. 67

sqq. et in Rud. Hospiniani hist. sacram. P. II. p. 238. cfr. Hottinger helvet. Kirchengesch. l. VI. p. 1699. Prorsus fere alia ea apparet in Confessione et expositione simplici orthodoxae fidei et dogmatum catholicorum sincerae religionis christ. concorditer ab Ecclesiae Christi ministris, qui sunt in Helvetia, Tiguri, Bernae, Glaronae, Basileae, Scaphusii, Abbatiscellae, Sangalli, Curiae Retorum et apud confoederatos, Mühlhusii etiam et Biennae, quibus adiunxerunt se Genevensis er Neocomensis Ecclesiae ministri, una cum aliis Evangelii Praeconibus in Polonia, Hungaria et Scotia. Tiguri 1566. 1568. 4. in Corp. et Syntapm. P. I. p. 1 sqq. Translata quoque haec confessio est in linguam polonicam, hungaricam, arabicam. Cfr. Köcher Bibl. theolog. symb. p. 274. Hospinian. l. c. P. II. p. 564 sqq. Consensus Tigurinus s. Consensio mutua in re sacramentaria Ministrorum Tigurinae Ecclesiae et D. Io. Calvini, Genevensis Ecclesiae ministri, a. 1549. in Calvini Opp. VIII. p. 648 sqq. Planck Gesch. d. prot. Lehrb. V. 2. p. 19 sqq.

Augustana Confessio *variata* a. 1540. legitur in Corp. et Synt. P. II. p. 1 sqq. Walch Einl. in die Religionsst. aufser der Luth. K. III. p. 72 sqq. Planck l. c. IV. p. 6 sqq. Baumgarten Erleut. der im christl. Concordienb. enth. symb. B. der evang. luth. K. p. 178. Semler Apparat. §. 146 sqq. Tittmanni Institutio symb. p. 207. De ortis post Formulam concordiae de exorcismo disputationibus v. J. G. Walch Einl. in die Religionsst. III. p. 91 sqq. Visitation-Artikel im ganzen Churkreifs Sachsen. Samt derer Calvinisten negativa und Gegenlehre und die Form der Subscription, welchergestalt dieselben beiden Partheyen sich zu unterschreiben sind vorgelegt worden. 1593. lat. in libro Conc. ed. Rechenb. p. 831. Frid. Balduini disputationes tredecim pro aureolo visitationis Misnicae libello, in quo articuli quatuor cardinem salutis nostrae concernentes compendiose et orthodoxe per thesin et antithesin explicantur. Witeb. ed. 2. 1620. Ex Reformatorum scriptis huc pertinent Sam. Strimesii de visitatoriis quatuor artic. saxon. post. mort. ed. P. E. Iablonsky. 1730.

§. 60.

Eodem Lutheranarum multarum Ecclesiarum symbolo Calvinianum dogma de praedestinatione reiectum erat, expositum

contra iam antea, posteaque confirmatum plurimis Ecclesiae reformatae symbolis. Nimirum Calvinus Ecclesias Helveticas a. 1554. commovit, ut conscriptum a se iam a. 1551. de praedestinatione librum approbarent, praeditum deinde omni symboli forma, et Tigurinorum consensus nomine celeberrimum. Inde factum est, ut omnes reformatae Ecclesiae hac de re sententiam singulari de sacra coena doctrinae admiscerent; quod a nonnullis, Gallicana, Hungarica, iisdem fere verbis ac rationibus, quibus Calvinus ipse usus est, factum esse videmus.

Consensus Tigurinorum in Calvini opusc. p. 754. erat antea appellatus Consensus Pastorum Ecclesiae Genevensis de aeterna Dei praedestinatione, qua alios ex hominibus elegit, alios suo exitio reliquit, in Calvini Opp. T. VIII. p. 593 sqq. cfr. Planck l. c. VI. p. 806 sqq. Gallicarum Ecclesiarum confessio fidei Carolo IX. regi a. 1561. exhibita. In Corp. et Synt. P. 1. p. 77. Symbolum hoc in prima Ecclesiarum reformatorum Synodo, Parisiis celebrata 1559. proposita ac recepta, deinde anno sequenti Francisco II. Galliarum regi, denique in colloquio Possiacensi 1561. a Theod. Beza in medium allata est. V. Köcher Bibl. theol. symb. p. 229. J. G. Walch Bibl. theol. sel. I. p. 420. Theodore de Beze Histoire ecclesiastique des eglises reformées au royaume de France. l. II. p. 173. Vera Confessio ex verbo Dei sumta, et in Synodo Czengeriana uno consensu exhibita et declarata, excusa Debrezini a. 1570. In Corp. et Synt. l. c. p. 148 sqq.

§. 61.

Sed quum neque generali Synodo aut universaliori consensu apud reformatas in remotissimis terris Ecclesias probata una tantummodo et communis confessio exstaret, neque tanta esset inter ipsas

Ecclesias concordia, praesertim in articulo de praedestinatione et externo statu, ut in uno tenendo acquiescere omnes potuerint, inde evenit, ut nationalis quasi exprimeretur et Ecclesiarum forma externa et interna de rebus in controversia positis doctrina. Quo referendi praecipue sunt XXXIX. articuli Ecclesiae Anglicanae, qui vehementer temperatam continent Calvini doctrinam.

Comprehendunt articulos XLII. auctoritate regia compositos et a. 1553. editos, deinde in nonnullis rebus mutati et ad numerum XXXIX. redacti sunt. De illis v. Burnet Hist. reform. Ecclesiae anglic. P. II. p. 111 sqq. et Salig Gesch. der Augsb. Conf. T. II. l. VI. c. 2. p. 456 sqq. Hi leguntur in Corp. et Synt. P. I. p. 99 sqq. Benthem Engländ. Kirchen- und Schulenstaat, c. 8. p. 170. Gilbert Burnet Expositio unde quadraginta articulorum Ecclesiae angl. Lond. 1699. fol. Accedunt porro Liber Homiliarum, a Cranmero et Ridleio compositus, ut in coetibus sacris a ministris recitarentur, quemadmodum etiam in articulo XXXV. sancitum est, et Liturgia anglicana, quae non minus symbolicam auctoritatem retinuit. Spectat huc etiam Anglicana confessio fidei, quae exstat in Apologia Ecclesiae anglic. inter Opera Theologi Io. Iuelli, Episc. Sarisburensis, edita a. 1562. In Corp. et Synt. l. c. p. 89 sqq. Scoticana confessio legitur ib. p. 109 sqq.

§. 62.

Sequitur Catechismus Palatinus s. Heidelbergensis, a Casp. Oleviano et Zach. Vrsino, Friderici III. Electoris Palatini iussu, a. 1562. conscriptus. Is ob virtutes, praecipue ob concinnam tractandi rationem, ordinem rerum elegantem, perspicuitatem, testimoniorum ex S. S. delectum moderationemque ita se commendavit, ut non so-

lum reliquis reformatae Ecclesiae catechismis existimatione mox fuerit superior, sed etiam tanquam norma institutionis publicae ac fidei christianae non tantum in omnibus Germaniae, sed etiam multis aliis Ecclesiis reformatis reciperetur ac postea singulari Synodi celeberrimae decreto ad symbolicam dignitatem tolleretur.

Prodiit a. 1563. cum praefatione Electoris et mandato, ut singulis annis in coetibus sacris explicaretur. Innumerae sunt editiones Heidelbergenses, cum testimoniis et aliis tractatibus 1585. 8. 1559. 12. cum ritibus ecclesiasticis ac precationibus 1652. 8. Bremensis 1609. Herbornensis 1614. 8. Belgicae, al. Translatus quoque catechismus in omnes fere linguas, a Frid. Sylburgio versio graeca exstat: κατηχησις της χριστιανικης πιστεως, καθαπερ αυτη εν ταις της Παλατινης αρχαιρεσιας εκκλησιαις τε και σχολαις παραδιδοται. Heidelb. 1597. 8. Alia graeca, nimis barbara ea est, quam ordines generales Belgii foederati in usum graecorum hodiernorum edendam curarunt a. 1648. Exstat praeterea versio gallica, belgica, saxonica, britannica, italica, bohemica, polonica, hungarica, ebraea; poesi etiam ornatus catechismus prodiit: der alte heidelbergische Catech. durch eine fürnehme poet. Feder in deutlichen Reimen entworfen. Vesal. 1742. 4. Et magnus illorum numerus est, qui hunc catechismum commentariis illustrarunt. V. Abegg von einem Hauptbildungsmittel in der protestant. Kirche, in Studien herausgeg. von Daub u. Creuzer II. p. 132 sqq. Cfr. praeterea Benthem holländ. Kirchen- und Schulstaat. P. I. c. 6. p. 198 sqq. Alting Scriptt. theol. Heidelberg. T. III. p. 65. Struve pfälz. Kircheng. c. 5. p. 139. Köcher katechet. Gesch. der reform. K. c. 8. p. 237. Walch Bibl. theol. sel. I. p. 516 sqq.

§. 63.

Post hunc catechismum locum inter germanicas confessiones reformatas principem tenet marchica, quae cum primum separatim ederetur, deinde cum aliis scriptis con-

confessionibusque coniunctim prodiit, mitioremque omnino de praedestinatione sententiam continet. Deinde etiam Corpus doctrinae Philippicum, quod et suum fecerunt et pro libro symbolico receperunt Palatini, Brandenburgenses, Anhaltini, Bremenses et Hassiaci. Vniversalioribus tandem symbolis annumeranda est Confessio belgica, primum ut scriptio privata gallico sermone edita a. 1562. sequenti in belgicam linguam translata, tamque longe lateque disseminata, ut sensim ab universa fere Ecclesia reformata tanquam symbolum reciperetur.

Glaubensbekenntniſs Joh. Sigismunds, Marggrafens zu Brandenburg, Francof. ad Viadr. 1613. Auf sonderbaren Befehl und Anordnung des durchl. hochgeb. Fürsten u. Herrn Joh. Sigismunds, Marggrafens zu Brandenburg anderweit gedruckte Glaubensbekenntniſs der reform. evang. Kirchen in Deutschland, ib. 1614. 12. Continentur libro: Der Chur Brandenburg Reformationswerk: die drey confessiones oder glaubensbekenntnisse, welche in den churfürstl. brandenburg. die Religion betreffenden Edictis zu beobachten befohlen worden. Colon. Brandenb. 1695. 4. Sunt tamen aliae harum trium confessionum editiones inter se diversae, ita, ut non in omnibus eadem Electorum brandenburgensium Io. Sigismundi et Friderici Guilelmi edicta reformatae religionis caussa promulgata ante oculos nobis ponantur. De his et iis, quae contra haec scripta sunt v. J. G. Walch Bibl. theol. sel. I. p. 423. Dan. Heinr. Hering hist. Nachricht von dem ersten Anfang der evang. reform. Kirche in Brandenburg u. Preuſsen. Halle 1778. 8. Corpus doctrinae Melanchthonis tanquam liber symbolicus veneratur ab Ecclesia Palatina his verbis. „Antiquum Doctrinae corpus maneat eodem, quo hactenus fuit, loco in Ecclesiis et scholis: maneat consensus secundum corpus doctrinae constitutus, ab adversariis damnatus, sed nunquam refutatus." Admonitio Neostadiana, c. XII. p. 444. cfr. c. V. p. 188. c. VI. p. 205. c. IX. p. 324. c. X. p. 336. c. XI. p. 393. 400. „Seren.

Elector Brandenburg. Io. Sigismundus, ecclesiarum et scholarum reformatarum doctores ad corpus Doctrinae Philippi adstrinxit his fere verbis. „Sufficiat scholis et ecclesiis nostris iuxta biblia sacra et Symbola atque confessionem Augustanam Corpus doctrinae a Philippo traditum, ad cuius normam Ecclesiarum et Scholarum Professores et Ministri sese componant non sine fructu publico." Vid. Barth. Holzfus tract. theol. de praedestinatione ed. tert. Lugd. Bat. 1756. 8. p. 117. Anhaltini non solum a. 1581. Repetitionem brevem s. simplicem et perspicuam confessionem Corpori Doctrinae Melanchthonis conformem ediderunt, sed etiam Wolfg. Amling, Theologus Anhaltinus, in conc. funebri seren. dom. Ioach. Ernesti, Princ. Anhalt. omnes Anhaltinos ad perseuerandum in doctrina, Corpori Doctrinae Philippico consentanea, graviter adhortatus est, ap. Holzfus l. c. p. 118. et Hospiniani Conc. disc. c. 12. p. 66 sqq. qui refert, Theologos Hassiacos olim, cum Form. Conc. prodiret, monuisse, corpus Doctrinae Philippicum, quo hactenus pro consensu christiano fovendo, tanquam scriptis propheticis consentaneo, usi sint, non esse abolendum novi substitutione. l. c. Confessio belgica a Guidone de Bres Wallonico sermone composita, cuius deinde et aliorum studiis primum gallice lucem aspexit a. 1562. Non solum literis latinis saepius descripta est, verum etiam germanicis, hungaricis, graecis, arabicis. Diligenter collatam cum vetustissimis gallicis et belgicis confessionem illam exhibuit Festus Hommius in Specimine controversiarum belgicarum, etc. Lugd. Bat. 1618. 4. Distinguendum tamen inter editiones, quae ante Synodum Dordracenam ac postea prodiere: discrepant enim praesertim in articulo de praedestinatione, ac multo accuratius expensa, perpolita, et approbata est Synodo. Ita legitur in Act. Syn. nat. Dortrechti habita P. I. in Corp. et Synt. I. p. 129 sqq. Benthem holländ. Kirchen- u. Schulst. I. c. 5. p. 146. Brandt Hist. abregée de la reform. des Pays-bas. I. p. 105. Köcher Bibl. theol. symb. p. 216. I. G. Walch Bibl. theol. sel. I. p. 411.

§. 64.

Maximam denique nominis famam assecuta sunt decreta Synodi Dordracenae, quam funestissimum excipiebat Arminiano-

rum schisma. Qui quum iam antea quinque articulis dissensum a Calvini doctrina de praedestinatione professi essent, deinde singularibus confessionibus sententiam suam declararunt. Sed ipsa concilii Dordraceni placita non in omnibus reformatis Ecclesiis existimationem sibi conciliare potuerunt, imo a multis tacite praetermissa, ab Anglis omnino reiecta sunt. Quo tamen magis a Presbyterianis s. Puritanis et ab Helvetis singularibus symbolis suscipiebantur.

Iudicium synodi nationalis reformatarum Ecclesiarum belgicarum, habita Dortrechti a. 1618. et 1619. etc. de quinque doctrinae capitibus, in Ecclesiis belgicis controversis, promulgatum 6. Maii 1619. 4. Canones et Decreta Syn. Dord. leguntur etiam in Corp. et Synt. P. III. p. 23 sqq. Aymonii tous les Synodes nationaux des églises reformées de France. Tom. II. p. 298. Benthem Holländ. K. u. S. p. 391. — Quinque articuli, Remonstrantia comprehensi, leguntur in Scriptis adversariis collationis Hagiensis habitae a. 1611. Lugd. Bat. 1616. 4; in Walch Einleit. in die Religionsstr. III. p. 540. In censum hunc veniunt etiam primum Remonstrantium Epistola ad exterarum Ecclesiarum reformatos doctores, pastores, theologos, contra epistolam ministrorum Valachrianorum. Lugd. Bat. 1617. 4. Deinde Acta et scripta synodalia ministrorum remonstrantium in foederato Belgio 1620. 4. Tum Confessio sive declaratio sententiae Pastorum, qui in foederato Belgio remonstrantes vocantur super praecipuis articulis religionis christianae, a Sim. Episcopio concinnata a. 1621. lat. versa a. 1622. in Episcopii Opp. T. II. P. 2. p. 69. Symbolum fere commune est, ex unanimi, ut refert praefatio, fratrum omnium (ne iis quidem, qui in ergastulis conclusi tenentur, exceptis) consensu, qui omnes et singuli diligenter eam ante legerunt, in timore Domini expenderunt, ad normam S. S., quatenus per temporum iniquitatem fieri potuerit, sedulo examinaverunt, tandemque uno corde unoque ore omnes approbaverunt. Porro Apologia pro Confessione s. declaratione sententiae eorum, qui in foederato Belgio vocantur Remonstrantes a. 1629., in Episc. Opp. l. c. p. 95. De-

nique Catechesis Remonstrantium. Rotterod. 1640. V. Köcher Bibl. theol. symb. p. 489 sqq. I. G. Walch Bibl. theol. sel. I. p. 426 sqq. — Hect. Gottf. Masii diss. de contemtu Concilii Dordraceni in Anglia, in ei. dissertt. academ. I. p. 601. Ern. Salom. Cypriani Urtheil hochberühmter englischer Theologen von der Synode zu Dortrecht u. ihrer Lehre. Goth. 1723. — Presbyterianorum confessio s. Westmonasteriensis a. 1643. exarata haec est: Confessio fidei in conventu Theologorum, auctoritate parliamenti anglicani indicto, elaborata, eidem parliamento postmodum exhibita, quin et ab eodem deindeque ab Ecclesia Scoticana cognita et approbata, una cum Catechismo duplici. Cantabrigiae 1659. 8. Köcher l. c. p. 282. Walch l. c. p. 419. Einl. in die Religionsstr. I. c. p. 109 sqq.

§. 65.

Nam quum ex Gallia, praesertim ex Academia Salmuriensi in Ecclesiam Genevensem invehi coepissent dogmata quaedam cum decretis Synodi Dordracenae male convenientia, aliaque certamina quaedam moveri, quibus dirimendis Theologi ac magistratus operam dedere, tandem Formula illa consensus Helvetica, Io. Henr. Heideggero, Francisco Turretino, aliisque auctoribus, iussu magistratus Tigurini a. 1675. prodiit, quae ingentes deinde peperit lites intestinas eamque Ecclesiam nimium quantum a Lutherana remotam constituit. Opposita Formula potissimum erat dogmatibus Mosis Amyraldi de gratia universali, Iosuae Placaei de peccati adamitici imputatione, Iohannis Piscatoris de obedientia Christi activa et Ludovici Capelli de codicis hebraici punctis vocalibus non divinis. Hanc iureiurando ministri confirmare debebant; qui subscribere ei detrectabant, e muneri-

bus eiiciebantur. Neque tamen in ipsa Helvetia symbolicam auctoritatem semper retinuit haec a nonnullis reiecta, ab aliis neglecta, a pluribus impugnata Formula. Sopita denique lite funesta magistratus Bernensis peculiari edicto a. 1722. dato voluit, ne quis contra Formulam doceret, neque tamen aliam esse maioremque eius auctoritatem, nisi Formulae doctrinae.

Christoph. Matth. Pfaffii schediasma de Form. cons. helvetica. Tubing. 1723. 4. Io. Iac. Hottinger succincta ac genuina Form. cons. helv. historia, cum epistolis lat. et germ. iterum prodiit 1723. Memoires pour servir à l'histoire des troubles arrivés en Suisse à l'occasion du consensus. Amst. 1726. 8. De Amyraldo v. Christ. Eberh. Weismann Hist. eccles. nov. Test. sec. XVII. p. 914. De Placaeo id. p. 919 sqq. de Piscatore Aymon Actes de tous les Synodes nat. de l'egl. ref. de France T. I. p. 301. 400 sqq. et Bossuet Hist. des variations des egl. protest. II. livre 12. p. 268. Ludov. Capelli Vindiciae. Arcanum Punctationis reuelatum. Amst. 1689. legitur etiam in ei. Critica sacra. T. V. Paris. 1650. fol. Mosheim Kirchengeschichte von Schlegel. IV. p. 437. — Epistolam Regis Boruss. ad Eccles. Genev. data a. 1707. v. ap. Lenfant Reflexions sur les formulaires et sur les confessions de foi ad calcem libri: L'innocence du catechisme de Heidelberg. à Amst. 1723. 8. p. 120 sqq. et Claudii Oeuvres posth. V. p. 48. Edictum magistratuum Bernensium d. 16. Iunii 1722. v. in Moshemii diss. de auctoritate conc. Dordrac. in Halesii hist. conc. Dord. p. 40. Cfr. Walch Bibl. theol. sel. I. p. 414. Ei. Einleitung in die Religionsstreitigkeiten. III. p. 122 sqq.

CAP. 2.

DE DISSENSV.

§. 66.

Controversia, quae Lutheranae Ecclesiae cum Reformata intercedit, tribus potissimum capitibus continetur, quorum primum est de Sacramentis. Et quum de Eucharistia inde ab initio quam maxime dimicaretur, ex hac praesertim controversia omnis utriusque doctrinae de Sacramentis forma enata est et luculentissime intelligitur. Habet autem ea dissensio ex altera parte, nempe Reformatorum, quatuor vel potius duo gradus atque momenta, quorum accurata observatio lucem afferre forsitan omni huius implicitae rei expositioni potest. Ac primum est, quod Carolostadius arctissimum esse in verbis institutionis sacrae coenae inter pronomen Hoc et substantivum Corpus vinculum negavit ipsamque igitur substantiam corporis et sanguinis Christi in coena sacra edi ac bibi, quemadmodum Lutherus docebat, noluit. Alterum est, quod Zwinglius addidit, voculam ἐστι in verbis Domini per *significat* interpretandam esse. Tertiam ac novam interpretationem proposuit Oecolampadius, qui corpus meum idem esse dixit ac figuram corporis mei. Convenit triplex interpretatio in eo, quod symbolicam tantum, non autem veram, realem et substantialem praesentiam Christi in sacra coena admittit atque omnino mysterium negat Sacramentis inesse, hisque vere con-

ferri et exhiberi rem divinam aut gratiam significatam. Nullum facile symbolum Ecclesiae Reformatae inveneris, praeter Zwinglii ipsius, quod hac in tenui de nudis signis doctrina fovenda acquiesceret.

Carolostadii libelli reperiuntur in Lutheri Opp. T. XX. ed. Walch. Zwinglii interpretationem verbi ἐστι v. in eius Epist. ad Alberum Reutlingensem a. 1524. in Commentario de vera et falsa religione, in Subsidio de Eucharistia, in Responsione ad Buggenhagii epistolam. Oecolampadii libellus de genuina verborum domini: hoc est corpus meum, iuxta vetustissimos authores expositione a. 1525. editus est, contra quem Syngramma Suevicum prodiit. V. Planck Gesch. d. prot. Lehrb. I. et II. In illo libro demonstrat Oecolampadius, nullum miraculum in pane mystico esse supra capium hominis, ut fatetur ipse Rud. Hospinian. in Hist. sacram. P. II. p. 56. „Nullum Sacramentum unquam fuisse invenitur, quod illud ipsum nobis praesens facere possit, quod per illud significabatur, sed hoc unius cuiuscunque Sacramenti opus et munus est, ut illud, quod denotat, praesens esse significet duntaxat et testetur etc." Vlr. Zwinglius ad Luth. Conf. respons. Tom. II. Opp. p. 477. „Sunt ergo Sacramenta, signa vel cermoniae, pace tamen omnium dicam, quibus se homo Ecclesiae probat aut canditatum aut militem esse Christi: redduntque Ecclesiam totam potius certiorem de tua fide, quam te." Commentar. de vera et falsa relig. in Opp. T. II. p. 198. „Quapropter cum Christum discessisse, deseruisse mundum nec amplius nobiscum esse constet, vel fidei articulos et Christi verba diserta et clara cadere necesse est (quod ipsum tamen fieri nequit), vel Christi corpus in Sacramento praesens non esse, nec etiam sanguinem ipsius in hoc contineri fatendum erit." De coena dom. plana et brev. inst. Opp. II. p. 285. „Plane loquamur, spiritualiter edimus, quum per Dei gratiam ad Christum venimus. Spiritualiter ergo Christi corpus edere, quid porro aliud esse potest, quam Christo fidere?" Commentar. de vera et fals. relig. l. c. p. 215. „Credo, imo scio, omnia Sacramenta tam abesse, ut gratiam conferant, ut ne adferant quidem, aut dispensent. Qua in re forsan audacior tibi videri potero, potentissime Caesar. Sed stat sententia. Nam gratia, ut a Spiritu di-

uino sit aut datur (loquor autem latine, cum gratiae nomine utor pro venia scilicet, indulgentia et gratuito beneficio) ita donum istud ad solum spiritum pervenit. Dux autem vel vehiculum Spiritui non est necessarium, ipse enim est virtus et latio, qua cuncta feruntur, non qui ferri opus habent. — Credo igitur, o Caesar, Sacramentum esse sacrae rei, hoc est, factae gratiae signum. — Credo, testimonium publicum esse etc." Ad Carol. Imp. Fidei ratio. Opp. II. p. 541. Quod si quis autem aliam animo habeat notionem Sacramenti, nimirum, quod sit tale signum, per quod bonum aliquod non solum repraesentetur et obsignetur, verum et exhibeatur ac conferatur, uti Lutheri discipuli hanc de Sacramentis notionem habent etc." Dan. Wyttenbach Tent. Theol. Dogm. §. 753.

§. 67.

Quibus contraria prorsus est Lutheranorum sententia, cum in Aug. Conf. tum in Apologia declarata. Omnino enim mysticam hic doceri coniunctionem et unionem veri corporis et sanguinis Christi cum visibilibus speciebus, easque res visibiles vocari signa non per se, sed quatenus cum rebus coniuncta creduntur corpus et sanguis Christi, sponte intelligitur. Sed quum postea illi symbolorum articuli in favorem Reformatorum explicari solerent, ex Lutheri sententiis genuina Lutheranorum doctrina repetenda est. Is igitur, ut discrimen inter utramque sententiam recte perspiceretur, docuit, cum obiectivam (corporalem) Christi esse cum rebus in sacra coena coniunctionem, tum oralem manducationem tamque internam et necessariam Christi in rebus illis visibilibus praesentiam, ut sub pane et vino Christum esse dici, nec tan-

tum dari et sumi a piis, sed etiam ab impiis Christianis possit.

„Es sind nur drey Worte: das ist mein Leib. Da giebt einer dem Wörtlein *Das* eine Nasen und reissets von dem Brodt, daſs mans so soll deuten, gerade als wenn ich spreche: Nimm und isse, hier sitzet Hans mit der rothen Jopen. Der ander nimmt das Wörtlein *Ist*, das soll ihm soviel heiſsen, als das Wort bedeut. Der dritte sagt: das ist mein *Leib* heiſse soviel, als das ist eine Figur meines Leibes. Setzen solche eigne Träume ohne allen Grund der Schrift." Luth. Sermon von dem Sacram. d. Leibes und Blutes Christi wider die Schwärmer a. 1526. Opp. XX. p. 931. „De coena domini docent, quod corpus et sanguis Christi vere adsint et distribuantur vescentibus in coena Domini et improbant secus docentes." Aug. Conf. art. 10. p. 12. „Confitemur nos sentire, quod in coena domini vere et substantialiter adsint corpus et sanguis Christi et vere exhibeantur cum illis rebus, quae videntur, pane et vino, his, qui sacramentum accipiunt. Et comperimus, non tantum Romanam Ecclesiam affirmare corporalem praesentiam Christi, sed idem et nunc sentire et olim sensisse Graecam Ecclesiam." Apolog. p. 157. De Sacramento altaris sentimus, panem et vinum in coena esse verum corpus et sanguinem Christi et non tantum dari et sumi a piis, sed etiam ab impiis Christianis." Art. Smalc. p. 330. quod etiam in Concordia Vitembergensi sancitum legitur ap. Camerar. in Vita Melancht. app. p. 432. „Sacramentum altaris est verum corpus et verus sanguis Domini nostri Iesu Christi sub pane et vino, nobis Christianis ad manducandum ac bibendum ab ipso Christo institutum." Catech. min. p. 380. Quid est igitur Sacramentum altaris? responsio: est verum corpus et sanguis domini nostri Iesu Christi in et sub pane et vino per verbum Christi nobis Christianis ad manducandum et bibendum institutum et mandatum, Catech. mai. p. 553. Etiamsi infinitae diabolorum myriades una cum omnibus Schwermeris uno ore impudentissime affirmarent, quomodo panis et vinum Christi corpus et sanguis esse possunt? etc. tamen compertum habeo, omnes ad unum spiritus et doctos non tanta excultos esse prudentia atque intelligentia, quanta Deum omnipotentem vel in minimo digitulo valere certo scio. *ib* p. 554.

§. 68.

Deinde postquam Bucerus, in medio loco inter utramque partem diutius constitutus, notionem praesentiae verae, realis et substantialis magis urgere coeperat, tunc non solum appropinquatio ac transitus facilior parari posse videbatur, sed etiam Helvetorum ipsorum Zwingliana hactenus sententia vehementer commutata, amplificata et altiori sensui accommodata prodibat. Nam eodem fere tempore Iohannes Calvinus doctrinam proposuit inter Lutheri et Zwinglii sententias mediam et utrinque reductam. Ac primum quidem cum Luthero et Zwinglio docuit, Sacramenta omnino esse notas et tesseras christianae professionis et societatis, ad gratiarum actionem incitamenta et exercitia fidei ac piae vitae eumque esse Sacramentorum finem, ut per ea nobis gratiam suam testetur Deus, repraesentet atque obsignet. Neque tamen ut Zwinglius hac in re tenenda constitit, sed conferri etiam rem divinam ac gratiam per Sacramenta addidit. De vera praesentia lis diremta, nunc de modo praesentiae noua dissensio orta.

„Es wird im Abendmahl nicht nur eitel Brodt und Wein, sondern auch der Leib und das Blut des Herrn wahrlich mitgetheilt und genossen, man sage nun; in, unter oder neben dem Brodt, das gilt gleichviel: denn es ist allein um die wahre Gegenwart Christi zu thun." M. Bucers Schrift an den Rath und die Kirche zu Münster in Westphalen c. 24. Cfr. Apologia contra Robertum Episcopum Abricensem Gallum. Tom. Angl. p. 613. Talia quoque Helvetica confessio continet a. 1536. rogatu Buceri ita accommodata, ut inter Ecclesias sarciretur concordia, cuius

tunc magna spes affulgebat. „Signa, quae in Ecclesia Christi Sacramenta vocantur duo sunt, Baptismus et Eucharistia. Haec arcanarum rerum symbola non nudis sed signis simul et rebus constant. In Eucharistia panis et vinum signa sunt. Res autem communicatio corporis Christi, parta salus et peccatorum remissio, quae quidem percipiuntur Fide, quemadmodum signa corpore et in ipsa re totus fructus Sacramentorum est. Vnde asserimus, Sacramenta non solum tesseras quasdam societatis christianae, sed et gratiae divinae symbolum esse. Art. XX. in Corp. et Synt. I. p. 70. cfr. art. XXII. l. c. „Quum Lutherus docere coepit, sic materiam Coenae tractabat, ut, quod ad corporalem Christi praesentiam attinet, talem ipsam relinquere videretur, qualem tunc omnes concipiebant. Nam transsubstantiationem damnans panem corpus Christi esse dicebat, quod una cum ipso coniunctum esset. Adiungebat praeterea similitudines duras quidem illas et rudes. Sed eis uti cogebatur, quod aliter mentem suam explicare non poterat. Difficile enim est, rem tam arduam exponere, quin impropria quaedam subinde accersantur. Dehinc suborti sunt Zwinglius et Oecolampadius, qui quum imposturam et deceptionem a diabolo invectam considerarent in stabilienda praesentia illa carnali, quae ab annis sexcentis tradita, et pro certa habita fuerat: rem tanti momenti dissimulare nefas esse existimarunt. Maxime quum huic errori execrabilis idololatria annexa esset, quod Christus quasi sub pane inclusus adoraretur. Quia vero difficillimum erat, hanc opinionem, quae diu iam et altius radices egerat in animis hominum revellere, omnem ingenii vim ad eam impugnandam applicarunt, admonentes crassissimi et absurdissimi erroris esse, non agnoscere ea, quae de ascensione Christi tota Scriptura testatur, ipsum in coelo in hominis natura receptum esse ibique mansurum, quoad descendat ad iudicandum orbem. *Sed huic proposito nimium intenti quam praesentiam Christi in coena credere debeamus, qualis illis communicatio corporis et sanguinis ipsius recipiatur, dicere omittebant. Adeo ut Lutherus eos nihil praeter signa nuda et spiritualis substantiae vacua relinquere velle existimaret.* — Habemus itaque, qua in re impegerit Lutherus, in qua etiam Oecolampadius et Zwinglius, etc." Calvinus de coena Domini, primum a. 1540. gallice scriptum et a. 1545. lat. versum in Opp. Tom. VIII. p. 8. 9. Addit denique: Vno igitur ore fatemur omnes, nos quum iuxta Domini in-

stitutum fide Sacramentum recipimus, substantiae corporis et sanguinis Christi vere fieri participes. l. c. p. 9. „Sunt quidem et hi Sacramentorum fines, ut notae sint ac tesserae christianae professionis et societatis sive fraternitatis, ut sint ad gratiarum actionem incitamenta, et exercitia fidei ac piae vitae: denique syngraphae ad id obligantes. Sed hic unus inter alios praecipuus, ut per ea nobis gratiam suam testetur Deus, repraesentet atque obsignet. Nam etsi nihil aliud significant, quam quod verbo ipso annunciatur, hoc tamen magnum est, subiici oculis nostris quasi vivas imagines, quae sensus nostros melius afficiant, quasi in rem ducendo: dum nobis Christi mortem omniaque eius beneficia in memoriam revocant, ut fides magis exerceatur: deinde quod ore Dei renunciatum erat, quasi sigillis confirmari et sanciri." Consensio mutua in re sacram. ministror. Tigur. Eccl. et D. Calvini in Opp. VIII. p. 949. „Longe falluntur, qui nullam carnis Christi praesentiam in coena concipiunt, nisi in pane sistatur. Ita enim arcanae Spiritus operationi, quae nobis Christum ipsum unit, nihil reliquum faciunt. Christus praesens illis non videtur, nisi ad nos descendat. Quasi vero si ad se nos evehat, non aeque potiamur eius praesentia. Ergo tantum de modo quaestio est: quia Christum ipsi in pane locant, nobis autem non ducimus fas esse, eum e coelo detrahere. Vtrum rectius sit, iudicent lectores. Tantum facessat calumnia illa, auferri Christum a sua coena, nisi sub panis integumento lateat. Nam quum mysterium hoc coeleste sit, necesse non est, Christum elicere in terras, ut nobis sit coniunctus. Calvini Instit. christ. rel. l. IV. c. 17. p. 287.

§. 69.

Nam Calvinus docet, non in nudis signis acquiescendum, sed rem signatam maxime spectandam, promissiones illis oblatas amplectendas, nec a signis veritatem disiungendam. Conferri gratiam docet, neque per nuda signa, neque per internam elementorum rationem, quemadmodum Lutherus voluit, sed per Spiritum sanctum. Nam nec in elementis consistendum, nec

his salutis omnis fiducia affigenda. Deus est, qui Spiritu S. in nobis agit, quum signis utimur, et adminiculis his utitur ad promovendum salutis ac fidei opus. Fides est, quae promissionem in sacra coena oblata amplectitur et spirituali communicatione particeps fit veri corporis et sanguinis Christi. Christus est, qui implet, quod figurant Sacramenta, ut totus effectus penes eius Spiritum resideat. Denique mysterium sublime ac ratione superius in sacra coena deprehenditur. Docetur a Calvino vera, realis, substantialis in sacra coena praesentia corporis ac sanguinis Christi, sed fide tantum animadvertenda et amplectenda signisque figurata; non admittitur localis ulla praesentia (a Luthero ipso negata) aut literalis verborum Domini interpretatio; docetur, fideles tantum et electos veritate corporis et sanguinis Christi participes fieri, reprobis et infidelibus contra nil nisi signa administrari.

„Quare etsi distinguimus, ut par est, inter signa et res signatas: tamen non disiungimus a signis veritatem: quin omnes, qui fide amplectuntur illis oblatas promissiones, Christum spiritualiter cum spiritualibus eius donis recipere adeoque et qui dudum participes facti erant Christi, commmunionem illam continuare et reparare fateamur." Consensio mutua in re sacramentaria ministr. Tig. Eccl. et D. Io. Calvini l. c. art. IX. p. 649. „Neque enim ad signa nuda, sed potius ad promissionem quae illis annexa est, respicere convenit. Quatenus ergo in promissione illis oblata proficeat nostra fides, eatenus ista vis et efficacia, quam dicimus, se exercet. Ita materia aquae, panis aut vini, Christum nequaquam nobis offert, nec spiritualium eius donorum compotes nos facit: sed promissio magis spectanda est, cuius partes sunt, nos recta fidei via ad Christum ducere, quae fides nos Christi parti-

cipes facit. Art. X. Praeterea si quid boni nobis per Sacramenta confertur, id non fit propria eorum virtute, etiamsi promissionem, qua insignuntur, comprehendas, Deus enim solus est, qui Spiritu suo agit. Et quod Sacramentorum ministerio utitur, in eo neque vim illis suam infundit, neque Spiritus sui efficaciae quicquam derogat, sed pro ruditatis nostrae captu, ea tanquam adminicula sic adhibet, ut tota agendi facultas maneat apud ipsum solum. Art. XII. Quod autem carnis suae esu et sanguinis potione, quae hic figurantur, Christus animas nostras per fidem, Spiritus s. virtute pascit, id non perinde accipiendum, quasi fiat aliqua substantiae vel commixtio, vel transfusio: sed quoniam ex carne semel in sacrificium oblata et sanguine in expiationem effuso vitam hauriamus. Art. XXIII. Primum quidem fatemur, Christum, quod panis et vini symbolis figurat, vere praestare, ut animas nostras carnis suae esu et sanguinis potione alat. Facessat igitur putida illa calumnia, theatricam fore pompam, nisi re ipsa praestet Dominus, quod signo ostendit. Neque enim dicimus, quicquam ostendit, quod non vere detur. Iubet nos Dominus, panem et vinum accipere; interea spirituale carnis suae et sanguinis alimentum se dare pronuntiat. Huius rei non fallacem oculis proponi figuram dicimus, sed pignus nobis porrigi, cui res ipsa et veritas coniuncta est, quod scilicet Christi carne et sanguine animae nostrae pascantur. Io. Calv. Defensio sacrae et orthod. doctr. de Sacr. eorumque materia, vi, fine, usu et fructu, quam Pastores et ministri Tigurinae Eccl. et Genev. ante aliquos annos brevi consensionis formula complexi fuerunt. a. 1554. Calv. Opp. VIII. p. 657. Carnem ergo Christi sine ullis ambagibus fatemur esse vivificam: non tantum, quia simel in ea salus nobis parta est, sed quia nunc, cum sacra unitate cum Christo coalescimus, eadem illa caro vitam in nos spirat, vel ut brevius dicam, quia arcana Spiritus S. virtute in corpus Christi insiti communem habemus cum ipso vitam. Nam ex abscondito Deitatis fonte in Christi carnem mirabiliter infusa est vita, ut inde ad nos flueret. l. c. p. 657. Quod nos sibi coniungens non modo vitam suam nobis instillat, sed etiam unum nobiscum efficitur, sicuti ipse unus est cum patre, sublimius captu nostro mysterium esse concedimus. l. c. Spiritualem cum dicimus, fremunt illi, quasi hac voce realem, ut vulgo loquuntur, tollamus. Nos vero, si reale pro vero accipiant, et fallaci vel imaginario opponant, barbare

loqui mallemus, quam pugnis occasionem praebere; — placidis itaque et moderatis hoc testatum volo, ita secundum nos spiritualem esse communicationis modum, *ut re ipsa Christo fruamur*. l. c. Praesertim vero tollenda est quaelibet localis praesentiae imaginatio. Nam quum signa hic in mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus, Christus quatenus homo est, non alibi quam in coelo, nec aliter quam menti et fidei intelligentia quaerendus est. Quare perversa et impia superstitio est, ipsum sub elementis huius mundi includere. Cons. mut. l. c. Art. XXI. p. 650. Proinde, qui in solennibus Coenae verbis: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, praecise literalem, ut loquuntur, sensum urgent, eos tanquam praeposteros interpretes repudiamus. Nam extra controversiam ponimus, figurate accipienda esse, ut esse panis et vinum dicantur id, quod significant. Art. XXII. Praeterquam quod in Sacramentis nihil nisi fide percipitur, tenendum quoque est, minime alligatam ipsis esse Dei gratiam, ut quisquis signum habeat, re etiam potiatur. Nam reprobis peraeque ut electis signa administrantur: veritas autem signorum ad hos solos pervenit. Art. XVII. XVIII. Porro de modo si quis me interroget, fateri non pudebit, sublimius esse arcanum, quam ut vel meo ingenio comprehendi, vel enarrari verbis queat, atque, ut apertius dicam, experior magis, quam intelligam. Itaque veritatem Dei, in qua acquiescere tuto licet, hic sine controversia amplector. Pronuntiat ille carnem suam esse animae meae cibum, sanguinem esse potum. Talibus alimentis animam illi meam pascendam offero. In sacra sua coena iubet me sub symbolis panis ac vini corpus ac sanguinem suum sumere, manducare ac bibere, nihil dubito, quin et ipse vere porrigat, et ego recipiam. Io. Calvini Inst. christ. rel. l. IV. c. 17. p. 287. „Ceterum quicquid ad exprimendam veram substantialemque corporis et sanguinis communicationem, quae sub sacris Coenae symbolis fidelibus exhibetur, facere potest, libenter recipio, atque ita, ut non imaginatione duntaxat aut mentis intelligentia percipere, sed ut re ipsa frui in alimentum vitae aeternae intelligantur." l. c. p. 282. Et sunt inter Ecclesiae reformatae doctores haud pauci, qui Calvini sententiam secuti affirment, Sacramenta non tantum significare bona coelestia, sed etiam re ipsa exhibere atque conferre. Franc. Turretin. Inst. Theol. elenct. III. l. 19. qu. 3. F. Burmann. Synops. Theol. l. VII. c. 4. Christ. Beck Synops. Inst. univ. Theol. p. 210.

§. 70.

Quamquam in his nonnulla deprehenduntur magnificentius dicta et Lutheranae doctrinae consonantia, tamen differentia adhuc in utraque doctrina residens neminem praeterire potest. Calvinus enim *cum* pane et vino (i. e. annexum, eodem tempore) verum corpus verumque sanguinem Christi in coelo habitantis nosque Spiritu s. ad se attollentis exhiberi dixit; Lutherus praesentiam Christi cum pane et *sub* pane docuit simul in coelo et in sacra coena praesentis propter ubiquitatem, quam dicunt, atque promissionem. Ille spiritualem solam manducationem veri corporis ac sanguinis, hic oralem simul esse voluit. Lutherus interna et necessaria quadam ratione in pane, cum pane et sub pane adesse Christum asseruit tamque arctissime cum elementis coniunctum, ut vel ab infidelibus suscipi sumique queat; Calvinus pios et electos solos, in fide constantes eius participes fieri docuit. Quae omnia, postquam acrioribus certaminibus a Westphalio, Timanno, aliis cum Calvino, Iohanne a Lasco, aliis in utramque partem agitata et disputata erant, tandem symbolis declarata sunt. Lutheranam igitur doctrinam Formula concordiae his potissimum sententiis de praesentia Christi in pane, cum pane et sub pane et vino propter omnipotentiam Dei et ubiquitatem Christi, de orali etiam manducatione deque omnium, vel impiorum participatione veri corporis et sanguinis Christi contineri voluit. Neque tamen, ut

recte

recte monet unus ex illius auctoribus, Chemnitius, fundamentum praesentiae corporis Christi in coena, ex vera Lutheri sententia, collocandum est in disputatione de ubiquitate, sed in veritate verborum institutionis et grammatica eorum expositione: in illis enim latet, tanquam in interiori recessu, omnis dissensio, quamquam supersedere disputatione illa de ubiquitate vix potest theologica Lutheranorum hac de re doctrina.

„Hoc modo non tantum refutatur Papistarum commentum de transsubstantiatione, sed crassa omnia figmenta atque futiles argutiae, quae vel coelesti eius gloriae detrahunt vel veritati humanae naturae minus sunt consentaneae. Neque enim minus absurdum iudicamus, Christum sub pane locare vel cum pane copulare, quam panem transsubstantiare in corpus eius." Cons. mutua Art. XXIV. l. c. p. 650. „Certe si Paulo dicere licuit, nos a domino peregrinari, quamdiu sumus in mundo, eadem quoque ratione dicemus, quadam absentiae specie nos ab eo disiungi, quatenus scilicet a coelesti eius domicilio nunc distamus. *Abest igitur Christus a nobis secundum corpus.* Spiritu autem suo in nobis habitans in coelum ad se ita nos attollit, ut viuificum carnis suae vigorem in nos transfundat, non secus ac vitali solis calore per radios vegetamur." Io. Calvini Defensio sanae et orth. doctr. de Sacr. l. c. p. 658. Alii fatentur panem Coenae vere substantiam esse terreni et corruptibilis elementi nec quicquam in se pati mutationis, sed sub habere inclusum Christi corpus. Si ita sensum suum explicarent, dum panis in mysterio porrigitur, annexam esse exhibitionem corporis, quia inseparabilis est a signo suo veritas: non valde pugnarem. Sed quia in pane corpus ipsum locantes ubiquitatem illi affingunt naturae suae contrariam, addendo autem: Sub pane, illic occultum latere volunt: tales astutias e suis latebris paulisper extrahere necesse est, etc. Inst. christ. rel. l. IV. c. 17. p. 282. Brevis et dilucida de Sacramentis Ecclesiae Christi tractatio, in qua et fons ipse et ratio totius sacramentariae nostri temporis controversiae paucis exponitur naturaque et vis Sacramentorum compendio et perspicue explicatur per

Io. a Lasco, Baronem Poloniae, Superintendentem Ecclesiae peregrinorum Londini. Lond. 1552. 8. V. Planck Gesch. d. protest. Lehrb. V. 2. p. 36 sqq.

Farrago confusanearum et inter se dissidentium opinionum de Coena Domini ex Sacramentariorum libris congesta. Ed. Io. Westphalus, Magdeb. 1552. 8. Planck l. c. p. 28 sqq. „Credimus, docemus et confitemur, verba Testamenti Christi non aliter accipienda esse, quam sicut verba ipsa ad literam sonant: ita, ne panis absens Christi sanguinem significet: sed ut propter sacramentalem unionem panis et vinum vere sint corpus et sanguis Christi. — Fundamenta, quibus in hoc negotio contra Sacramentarios nitimur, haec sunt: Primum fundamentum est articulus fidei nostrae christianae, videlicet: Iesus Christus est verus, essentialis, naturalis, perfectus Deus et homo in unitate personae, inseparabilis et indivisus. Secundum: quod dextera Dei ubique est: ad eam autem Christus ratione humanitatis suae vere et re ipsa collocatus est: ideoque praesens gubernat, in manu sua et sub pedibus suis, ut Scriptura loquitur, habet omnia, quae in coelo sunt et in terra. Ad eam Dei dexteram nullus alius homo ac ne Angelus quidem, sed solus Mariae filius collocatus est, unde et ea, quae diximus, praestare potest. Tertium: quod verbum Dei non est falsum aut mendax. Quartum: quod Deus varios modos novit et in sua potestate habet, quibus alicubi esse potest: neque ad unicum illum alligatus est, quem Philosophi localem aut circumscriptum appellare solent. Credimus, docemus et confitemur, corpus et sanguinem Christi non tantum spiritualiter per fidem, sed etiam ore, non tamen capernaitice, sed supernaturali et coelesti modo, ratione sacramentalis unionis cum pane et vino sumi.— Credimus, docemus et confitemur, quod non tantum veri in Christum credentes et qui digne ad coenam Domini accedunt: verum etiam indigni et infideles verum corpus et sanguinem Christi sumant, ita tamen ut nec consolationem nec vitam inde percipiant sed potius, ut illis sumtio ea ad iudicium et damnationem cedat, si non convertantur et poenitentiam agant." Form. Conc. Epitome. p. 599 sqq. Sequitur contrariae et damnatae Sacramentariorum doctrinae reiectio. p. 601 sqq. Deinde in Declaratione leguntur haec. „Et sane omnes circumstantiae institutionis Coenae dominicae luculenter testantur, verba illa Domini (quae per se perspicua, firma, clara et indubitata sunt)

non aliter, quam in usitata, propria et communi significatione accipi posse et debere. Cum enim Christus mandatum illud in mensa et in coena dederit, dubium esse non potest, quin de vero naturali pane et de vero naturali vino, atque de manducatione, quae ore fit, loquatur, ita, ut nulla in vocabulo panis metaphora esse possit, quasi Christi corpus spiritualem panem aut spiritualem cibum animae dicere voluerit. Et Christus ipse praecavere studuit, ne metonymia in vocabulo (corporis) intelligeretur et ne existimaretur de signo corporis sui aut tantum de symbolo vel de figurato corpore, aut de virtute corporis sui, seu beneficiis, quae oblatione corporis sui nobis promeruit, agere. Diserte enim loquitur de vero, essentiali et substantiali suo corpore, quod in mortem pro nobis tradidit et de vero, substantiali sanguine suo, quem pro nobis in ara crucis in remissionem peccatorum effudit." Decl. p. 739. „Et sane si d. Paulus duntaxat de spirituali communicatione corporis Christi, quae per fidem fit, ageret (ut Sacramentarii hoc Paulinum dictum (1 Cor. 10, 16.) suo more depravare solent), non dixisset panis, sed Spiritus aut Fides est communicatio corporis Christi." l. c. p. 741. „Cum etiam omnes illi (indigni), qui benedicti et distributi panis in sacra coena participes sunt, etiam cum corpore Christi communicationem habeant, profecto d. Pauli verba non possunt accipi de spirituali communicatione cum Christo, qua nemo abuti unquam potest et a qua homines non sunt deterrendi." l. c. p. 742. Duplex igitur est manducatio carnis Christi. Vna spiritualis, de qua praecipue Christus in evangelista Iohanne c. 6. agit, quae non alio modo, quam Spiritu et fide in praedicatione et meditatione Evangelii fit, non minus, quam cum coena Domini digne et in fide sumitur. Haec spiritualis manducatio per se utilis et salutaris est, omnibusque christianis et quidem omnibus temporibus ad salutem necessaria est: sine qua spirituali participatione sacramentalis illa, aut quae ore duntaxat fit, manducatio in coena non modo accipientibus non salutaris, sed noxia etiam et damnationis caussa esse solet. Spiritualiter igitur manducare nihil aliud est, quam credere praedicato verbo Dei etc. — Altera vero manducatio corporis Christi est sacramentalis et ore fit, quando in sacra coena verum et substantiale corpus et sanguis Christi ore accipiuntur etc. p. 744. Illud Christi mandatum, consideratis diligenter omnibus circumstantiis, non potest nisi de orali, non

autem de crassa, carnali, capernaitica, sed de supernaturali et incomprehensibili manducatione corporis Christi intelligi. l. c. p. 745. Chemnitii Examen conc. Trid. P. II. Loc. 4. Sect. I. c. 1. §, 4.

§. 71.

Superest, ut eorum tandem symbolorum mentionem faciamus, quorum est maxima apud Reformatos auctoritas. Quae quum omnia fere hoc in loco, qui de sacra coena est, Calvini vestigia premant, satis habebimus, ex Confessione Gallicana a. 1559. ex Helvetica a. 1566. ex Articulis Anglicanis, ex actis Synodi Dordracenae, ex Catechismo Heidelbergensi et Confessione Brandenburgica nonnulla delibare.

Gallicana confessio haec habet: Adfirmamus, sanctam coenam Domini, alterum videlicet Sacramentum, esse nobis testimonium nostrae cum Domino nostro, Iesu Christo, unitionis, quoniam non est duntaxat mortuus semel et excitatus a mortuis pro nobis, sed etiam vere nos pascit et nutrit carne sua et sanguine, ut unum cum ipso facti vitam cum ipso communem habeamus. Quamvis enim nunc sit in coelis, ibidem etiam mansurus, donec veniat mundum iudicaturus, credimus tamen, eum arcana et incomprehensibili spiritus sui virtute nos nutrire et vivificare sui corporis et sanguinis substantia per fidem apprehensa. Dicimus autem, hoc spiritualiter fieri, non ut efficaciae et veritatis loco imaginationem aut cogitationem supponamus, sed potius, quoniam hoc mysterium nostrae cum Christo coalitionis tam sublime est, ut omnes nostros sensus totumque adeo ordinem naturae superet, denique quoniam quum sit divinum ac coeleste, non nisi fide percipi et apprehendi potest. Art. 36. Credimus, tam in coena, quam in baptismo, Deum nobis reipsa, i. e. vere et efficaciter donare, quicquid ibi sacramentaliter figurat ac proinde cum signis coniungimus veram possessionem et fruitionem eius rei, quae ibi nobis offertur. Itaque affirmamus, eos, qui ad sacram mensam Domini puram fidem, tanquam vas quoddam afferunt, vere recipere, quod

ibi signa testificantur, nempe corpus et sanguinem Iesu Christi, non minus esse cibum et potum animae, quam panis et vinum sunt corporis cibus. Art. 37. Credimus, adiuncta esse verbo Sacramenta, amplioris confirmationis caussa, gratiae Dei nimirum pignora et tesseras, quibus infirmae et rudi fidei nostrae subveniatur. Fatemur enim talia esse signa haec exteriora, ut Deus per illa, S. sui Sp. virtute, operetur, ne quicquam ibi frustra nobis significetur. Arbitramur tamen omnem illorum substantiam et veritatem esse in Christo Iesu, a quo si separentur, nihil sint, quam inanes umbrae et fumi. Art. 34. Corp. et Synt. I. p. 85. 86.

Helvetica hanc sententiam profitetur: Est manducatio corporalis, qua cibus in os percipitur ab homine, dentibus atteritur, et in ventrem deglutitur. Hoc manducationis genere intellexerunt olim Capernaitae sibi manducandam carnem Domini, sed refutantur ab ipso. Nam ut caro Christi corporaliter manducari non potest, citra flagitium aut truculentiam, ita non est cibus ventris. Id quod omnes fateri coguntur. Improbamus igitur Canonem in Decretis Pontificum. Neque enim credidit vetustas pia, neque nos credimus, corpus Christi manducari ore corporis corporaliter vel essentialiter. Est et spiritualis manducatio corporis Christi, non ea quidem, qua existimemus, cibum ipsum mutari in spiritum, sed qua, manente in sua essentia et proprietate corpore et sanguine Domini, ea nobis communicantur spiritualiter, utique non corporali modo, sed spirituali, per Sp. S. qui videlicet ea, quae per carnem et sanguinem Domini pro nobis in mortem tradita, parata sunt, applicat et confert nobis, ita ut Christus in nobis vivat et nos in ipso vivamus efficitque, ut ipsum, quo talis sit cibus et potus spiritualis noster i. e. vita nostra, vera fide percipiamus. — Ex quibus omnibus claret, nos per spiritualem cibum minime intelligere imaginarium nescio quem cibum, sed ipsum Domini corpus pro nobis traditum, quod tamen percipiatur a fidelibus, non corporaliter, sed spiritualiter per fidem. Et his esus carnis et potus sanguinis Domini ita est necessarius ad salutem, ut sine ipso nullus servari possit. Fit autem hic esus et potus spiritualis etiam extra Domini coenam et quoties aut ubicunque homo in Christum crediderit. Praeter superiorem manducationem spiritualem est et sacramentalis manducatio corporis Domini, qua fidelis non tantum spiritualiter

et interne participat vero corpore et sanguine Domini sed foris etiam accedendo ad mensam Domini accipit visibile corporis et sanguinis Domini sacramentum.— Ceterum, qui nulla cum fide ad hanc sacram Domini mensam accedit, Sacramento duntaxat communicat, rem Sacramenti, unde est vita et salus, non percipit. — Ergo corpus et sanguinem Domini cum pane et vino non ita coniungimus, ut panem ipsum dicamus esse corpus Christi, nisi ratione sacramentali aut sub pane corporaliter latitare corpus Christi, aut quicunque signum percipiat, idem et rem percipiat ipsam. Corpus Christi in coelis est ad dexteram Patris. Sursum ergo elevanda corda et non defigenda in panem, nec adorandus Dominus in pane. Et tamen non absens est Ecclesiae suae celebranti Coenam Dominus. Sol absens a nobis in coelo nihilominus efficaciter praesens est nobis, quanto magis sol iustitiae Christus, corpore in coelis absens nobis, praesens est nobis, non corporaliter quidem, sed spiritualiter per vivificam operationem et ut ipse se nobis praesentem futurum exposuit in ultima coena Io. 14. 15. 16. Vnde consequens est, nos non habere coenam sine Christo, interim tamen habere coenam incruentam et mysticam, sicuti universa nuncupavit vetustas." Cap. XXI. in Corp. et Synt. I. p. 49. 50.

Anglicana confessio ita docet: „Coena Domini non est tantum signum mutuae benevolentiae Christianorum inter se, verum potius est Sacramentum nostrae per mortem Christi redemptionis. Atque adeo rite digne et cum fide sumentibus panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi: similiter poculum benedictionis est communicatio sanguinis Christi. Panis et vini transsubstantiatio in Eucharistia ex sacris literis probari non potest sed apertis Scripturae verbis adversatur, Sacramenti naturam evertit et multorum superstitionum dedit occasionem. Corpus Christi datur, accipitur et manducatur in Coena tantum coelesti et spirituali ratione. Medium autem quo corpus Christi accipitur et manducatur in Coena, Fides est." Art. 28. „Impii et fide viva destituti licet carnaliter et visibiliter (ut Augustinus loquitur) corporis et sanguinis Christi Sacramentum dentibus premant, nullo tamen modo Christi participes efficiuntur, sed potius tantae rei sacramentum seu symbolum ad iudicium sibi manducant et bibent." Art. 29. in Corp. et Synt. I. p. 105.

Ecclesiarum belgicarum confessio, prout in Synodo Dordrechtana fuit recognita et approbata, haec fere continet. „Credimus, benignum illum Deum nostrum, habita habitudinis et infirmitatis nostrae ratione, Sacramenta nobis instituisse, ut promissa sua in nobis obsignaret utque divinae erga nos benevolentiae ac gratiae essent pignora. Quin etiam ad fidem nostram fovendam et sustentandam. Quae quidem verbo Evangelii addidit, ut efficacius sensibus nostris externis exhiberet, tam ea, quae nobis externe verbo suo declarat, quam quae in cordibus nostris interne operatur, ut eo magis ratam in nobis faciat salutem, quam nobis communicat. Sunt enim symbola et sigilla visibilia rei internae et invisibilis, per quae, ceu media, Deus virtute Spiritus S. in nobis operatur. Signa itaque minime vana sunt et vacua, aut nos decipiendo ac frustrando instituta. Iesum Christum enim pro sua veritate habent, sine quo nullius prorsus essent momenti." Art. 33. „Credimus et confitemur, Iesum Christum Servatorem nostrum sanctae coenae Sacramentum ordinasse et instituisse, ut ea nutriat et sustentet eos, quos iam regeneravit et in familiam suam nempe Ecclesiam inseruit. Qui porro regeniti sunt, duplicem in se vitam habent, unam quidem corporalem et temporariam, quam secum a prima sua nativitate attulerunt, quaeque omnibus communis est. Alteram vero spiritualem, et coelestem, quae altera sua nativitate illis donatur, et per verbum Evangelii in communione corporis Christi efficitur. Atque haec vita non nisi Electis Dei communis est. Similiter nobis Deus panem terrenum et materialem ad vitae corporalis et terrenae conservationem idoneum attribuit, qui omnibus, sicuti et vita ipsa, communis est. At vero ad conservationem vitae spiritualis et coelestis, quam fideles iam habent, Deus illis panem vivificum misit, qui e coelo descendit, nempe Iesum Christum, qui manducatus i. e. si applicetur, et recipiatur Spiritu per fidem, vitam fidelium spiritualem nutrit et sustentat. Vt autem panem hunc spiritualem et coelestem Christus nobis repraesentaret, panem terrestrem ac visibilem in Sacramentum corporis sui, vinumque in sanguinis sui Sacramentum instituit, ut iis ipsis testificetur, nos, quam vere hoc Sacramentum manibus nostris accipimus et tenemus illudque ore comedimus et bibimus, unde postmodum vita nostra sustentatur, tam vere etiam nos fide (quae animae nostrae et manus et os est) in animis nostris recipere verum corpus et verum sanguinem Christi,

unici servatoris nostri, ad vitam nostram spiritualem. Certissimum porro est, Christum non frustra Sacramenta sua nobis commendasse. Quapropter omne id in nobis efficit, quodcunque sacris suis signis nobis repraesentat; quamvis modus ipse, mentis nostrae captum superet nobisque sit incomprehensibilis, sicut et operatio Spiritus Dei occulta et incomprehensibilis est. Interea vero nequaquam erraverimus dicentes, id, quod comeditur, esse proprium et naturale corpus Christi idque quod bibitur, proprium eius sanguinem. At manducandi modus talis est, ut non fiat ore corporis, sed Spiritu per fidem. Atque ita Christus ad dexteram Patris sui in coelis perpetuo sedet, neque eo minus se nobis per fidem communicat. Convivium hoc mensa est spiritualis, in qua Christus se ipsum nobis cum omnibus bonis suis communicat, efficitque, ut in illa tam ipsomet, quam passionis mortisque ipsius merito fruamur; miseram nostram animam omnique solatio destitutam carnis suae esu nutriens corroborans et consolans sanguinisque potu reficiens ac recreans. Praeterea, etiamsi Sacramenta coniuncta sunt rei significatae, utrumque tamen simul ab omnibus non accipitur. Impius enim recipit quidem Sacramentum in suam condemnationem, sed veritatem Sacramenti non recipit, veluti Iudas et Simon Magus acceperunt quidem uterque Sacramentum, sed non etiam Christum, qui illo significabatur, qui solummodo fidelibus communicatur. Art. 35. In Corp. et Synt. I. p. 143. 145.

In Catechismo Heidelbergensi hac de re leguntur haec. „Quid est crucifixum corpus Christi edere et Iesum eiusque sanguinem bibere? resp. Est non tantum totam passionem et mortem Christi certa animi fiducia amplecti ac per id remissionem peccatorum et vitam aeternam adipisci, sed etiam Sp. S., qui simul in Christo et in nobis habitat, ita sacrosancto eius corpori magis ac magis uniri, ut quamvis ipse in coelo, nos vero in terra simus, nihilominus tamen caro simus de carne eius et os de ossibus eius, utque omnia corporis membra ab una anima, sic nos uno eodemque Spiritu vivificemur et gubernemur. Qu. 76. Num ergo panis et vinum fiunt ipsum corpus et sanguis Christi? resp. Nequaquam: verum, ut aqua baptismi in sanguinem Christi non convertitur, nec est ipsa peccatorum ablutio, sed symbolum tantum et pignus earum rerum, quae nobis in baptismo obsignantur: ita nec panis coenae domini est ipsum cor-

pus Christi; quamquam pro ratione Sacramentorum et usitata Spiritus s. de his loquendi forma, panis Christi corpus appellatur. Qu. 78. Cur ergo Christus panem appellat suum corpus, calicem vero suum sanguinem, seu novum foedus per suum sanguinem: Paulus item panem et vinum communionem corporis et sanguinis Christi? resp. Christus non sine gravi caussa sic loquitur; videlicet non solum ut nos doceat, quemadmodum panis et vinum corporis vitam sustentant: sic etiam crucifixum suum corpus et effusum suum sanguinem vere esse animae nostrae cibum ac potum, quo ad vitam aeternam nutriatur: verum multo magis, ut hoc visibili signo et pignore nobis certum faciat, nos non minus vere corporis et sanguinis sui, per operationem Sp. S., participes esse, quam sacra ista symbola, in eius memoriam, ore corporis percipimur; tum etiam, quod eius passio et obedientia tam certo nostra sit, quam si ipsimet pro nostris peccatis poenas dedissemus et Deo satisfecissemus. Qu. 79.

Marchica denique confessio hanc sententiam declarat. Im heil. Abendmahl, welches das andere Sacrament im neuen Testament, gläuben und bekennen Se. Churf. Gn. weil zweierley Ding daselbst sich befinden, die äufserliche Zeichen, Brodt und Wein und der wahre Leib Christi, so für uns in Tod gegeben und sein heiliges Blut, so am Stamme des heil. Creuzes vergossen, dafs auch auf zweierley Weise dieselben genossen werden. Das Brodt und Wein mit dem Munde, der wahre Leib und das wahre Blut Christi eigentlich mit dem Glauben und dafs demnach wegen der sacramentlichen Vereinigung in dieser heiligen Action beyde zusammen seyn und zugleich ausgespendet und genommen werden, gleichwie das geistliche Manna oder Himmelbrodt des Worts geistlich genossen und in dem Reich Christi, welches nicht von dieser Welt, alles geistlich bestehet. Also gläuben Se. Churf. Gn. dafs das h. Abendmahl auch eine geistliche Speise der Seelen sey, dadurch dieselbe erquicket, gestärket und mit dem vereinigten Leibe zur Unsterblichkeit gespeiset und erhalten wird. Bleiben demnach stracks ohn allen Zusatz bey den heiligen Worten der Einsezzung, das Brodt sey der wahre Leib Christi und der Wein sey sein heilig Blut, Sacramentlich, auf die Art und Weise, wie Gott die heil. Sacramente alten und neuen Testaments eingesetzt und verordnet, dafs

sie seyen sichtliche und wahre Zeichen der unsichtbaren Gnaden und der Herr Christus selbst anzeiget, dafs das heil. Abendmahl ein Zeichen, doch aber nicht blos und leer sey, des neuen Bundes, eingesetzet zum Gedächtnifs Christi oder, wie es der Apostel Paulus 1 Cor. 11, 26. erklärt, zu steter Gedächtnifs und Verkündigung seines Todes, damit es sey ein Trostgedächtnifs, Dankgedächtnifs, Liebgedächtnifs. Und dieweil der Glaube gleichsam der Mund ist, dadurch des Herrn Christi gekreuzigter Leib und sein vergossenes Blut empfangen wird, halten Se. Churf. Gn. beständig dafür, dafs den Ungläubigen, Unbufsfertigen solches Sacrament nicht nütze, sie auch des wahrhaftigen Leibes und Blutes Christi nicht theilhaftig werden, weil der Sohn Gottes da er beym Ioh. 6, 54. vom seligen Gebrauch dieses Abendmahls redet, rund aussaget: wer mein Fleisch isset und trinket mein Blut, der hat das ewige Leben, und zuvor v. 47. warlich, warlich, ich sage euch, wer an mich gläubet, hat das ewige Leben, da er denn zu verstehen giebt, dafs sein heilig Fleisch und Blut mit dem Glauben müsse selig genossen werden. Und der Herr Lutherus im Kinder-Catechismo bezeuget, dafs der recht würdig sey, und wohlgeschickt, der den Glauben hat an diese Wort: für euch gegeben, für euch vergossen, denn das Wort: für euch, fordert eitel gläubige Herzen. Wie er denn anderswo auch spricht: wiewohl das Sacrament eine rechte Speise ist, doch wer es nicht nimmt mit dem Herzen, durch den Glauben, den hilft es nichts, denn es macht niemanden gläubig, sondern es erfordert, dafs er zuvor fromm und gläubig sey. p. 8. 9."

§. 72.

Postquam in controversia illa de coena Domini semel de omnipraesentia humanitatis Christi disputari coeptum erat, non solum illam ob caussam haud parum momenti huic quaestioni accessit, sed etiam per se quidem gravissimum alterum dissensionis caput exstitit, quod est de communicatione idiomatum. Exquirendum autem

primum, quid Lutherus hac de re senserit, cuius vestigiis insistere sibi persuadebant, qui a. 1561. eam quaestionem vehementer agitabant, Brentius, Andreae, alii, et an unquam hac sententia sese abdicasse dici recte queat; deinde, quid illi Zwinglius, quid his opponere soliti sint assentientes Calvino Bullingerus, Petrus Martyr et Theodorus Beza. Communem cum his rem defendendam susceperant post Melanchthonem Vitebergenses, mediam tuebantur Helmstadienses. Ex quibus cunctis palam est, hos omnes hunc lapidem movisse non solum propter locum humanitatis Christi, quem Calviniani solummodo in coelis, Lutherani etiam in sacra coena esse volebant, sed etiam propter doctrinam de persona Christi rite explicandam.

Lutheri libellus a. 1525. editus: wider die himml. Propheten, von den Bildern und Sacr. Opp. ed. Walch XX. pag. 186. Altenb. III. pag. 97. Eiusd. liber: daſs diese Worte: das ist mein Leib, noch feste stehen anno 1527. Opp. III. pag. 707. Groſses Bekenntniſs vom Abendm. Christi a. 1528. l. c. p. 835. „Es wird der wahre Leib Christi und sein wahres Blut im Brodt und Wein des Sacraments zu essen und zu trinken gegeben. Nun erhebt sich die Frage: wie kann Christus leiblich im Sacrament seyn, so doch ein Leib an vielen Orten zugleich nicht seyn kann? Hierauf antwort ich also: Christus hat gesagt, er wolle da seyn, darum ist er wahrhaftig im Sacrament und dazu leiblich und soll auch keine andre Ursach solcher leiblichen Gegenwart gesucht werden, denn diese: die Worte lauten also, darum muſs es also geschehen, wie sie lauten.— Vom allenthalben oder an allen Orten seyn, soll nicht disputirt werden. Es ist viel ein ander Ding in diesen Sachen. So reden auch die Schultheologen hier nichts von allenthalben, sondern behalten den einfältigen Verstand

von der leiblichen Gegenwart Christi." Opp. Ien. VIII. p. 375. Kleines Bekenntniſs vom Abendmahl a. 1544. Opp. Alt. VIII. p. 351. „O lieber Mensch, wer nicht will gläuben den Artikel im Abendmahl, wie will er doch gläuben den Artikel von der Menschheit und Gottheit Christi in einer Person? Und fichtet dich an, daſs du den Leib Christi mündlich empfähest, wenn du das Brodt vom Altar issest, item das Blut Christi empfähest mündlich, wenn du den Wein trinkest im Abendmahl, so muſs dich gewiſslich viel mehr anfechten (sonderlich wenn das Stündlein kommt), wie die unendliche und unbegreifliche Gottheit, so allenthalben wesentlich ist und seyn muſs, leiblich beschlossen und begriffen werde in der Menschheit und in der Jungfrauen Leibe, wie S. Paulus sagt Col. I. in ihm wohnet die ganze Fülle der Gottheit leiblich." l. c. Cfr. etc. p. 36. Cfr. J. G. Walch Einl. in die Religionsstr. III. p. 295. Planck Gesch. d. protest. Lehrb. II. p. 494. sqq. VI. p. 786 sqq.

„Caro Christi a dexteris patris sedet, nec inde movetur." Zwingl. Subsid. de Euch. a. 1525. „Iam vero et hoc observandum est, cum ambae naturae, divina nimirum et humana sic in Christo coniunctae sint, ut ambae simul unum tantummodo Christum constituant, scriptura non raro illarum appellationes commiscere solet, ut de altera nonnunquam dicatur, quod alterius est." Zwinglii resp. ad Valent. Comparem a. 1525. in Opp. I. p. 250. „Christi corpus sic dexterae Dei est alligatus, ut nusquam nisi istic esse possit usque ad extremum diem." „Alloeosis, quam nos desultoriam locutionem interpretati sumus, Plutarcho autore tropus est, quo consuetus ordo sive ratio commutatur: cum scilicet propter affinitatem aliquam passionum grammaticarum fit de una ad aliam saltus aut permutatio. Eas itaque permutationes, sive commutationes, sive desultus, quibus divini homines de Christo pro duarum in illo naturarum unione libere usi sunt, imo Christus ipse de se ipso iucunda variatione usus est, quas paulo ante Theologi idiomatum, hoc est, proprietum communicationem vocabant, eas, inquam, Alloeoses sive desultus, quo Grammaticos haberemus magis propitios, appellavimus. — Est ergo ἀλλοίωσις quantum huc attinet, desultus aut transitus ille, aut si mavis permutatio, qua de altera in eo natura loquentes alterius vocibus utimur. Vt cum Christus ait: caro mea vere est cibus, caro proprie est humanae in

illo naturae, attamen per commutationem hoc loco pro divina ponitur natura. Quatenus enim Dei filius est, eatenus est animae cibus." Exegesis euchar. negot. ad M. Luth. a. 1527. l. c. II. p. 350. Cfr. ad libr. Luth. de Sacr. resp. a. 1527. l. c. p. 403. Ad Luth. conf. resp. a. 1528. l. c. p. 469. Calvini Inst. rel. christ. l. II. c. 14. Bullingeri tractatio verborum Domini Ioh. 14, 2. Tig. 1561. Ei. responsio, qua ostenditur, sententiam de coelo et dextra Dei firmam adhuc perstare. Tig. 1562. Ei. Fundamentum firmum, cui tuto fidelis inniti potest. 1563. Bezae responsum ad Brentii argumenta in Opp. II. p. 507 sqq. de hypostatica unione. l. c p. 625.

Brentii sententia de libello Bullingeri. Tub. 1561. Ei. de personali unione. Tub. 1561. De divina maiestate Christi. 1562. Recognitio doctrinae de vera mai. Chr. 1564. Iac. Andreae assertio de persona et unione 1565. Declaratio et confessio maiestatis Christi. Tub. 1565. M. Chemnitii lib. de duabus naturis in Christo, de hypostatica earum unione, de communicatione idiomatum et aliis quaestionibus inde dependentibus, Ienae 1570. 8. ad calc. ei. Locc. theol. Cfr. Musaei praelect. in epit. Form. conc. art. 8. c. 1. Leonh. Hutteri Concordia concors p. 35 sqq. Löscher ausführl. hist. mot. l. 4. c. 9. Christ. Matth. Pfaffii de act. scriptisque publ. eccles. Wirtemb. p. 62. I. G. Walch Introd. in libr. eccles. Luth. symb. l. I. c. 7.

§. 73.

Nunc informandus caussae status est. Ac Lutherani quidem idiomatum communicationem ita stabilire conati sunt, ut non tam de absoluta ubiquitate quaerere, quam eam humanitatis omnipraesentiam defendere voluerint, qua, si velit, esse etiam Christus in sacra coena possit. Propterea non tam doctrinam de ubiquitate, quam illam de communicatione idiomatum proponebant in Formula concordiae, illam tamen ob caussam ab ipsis nonnullis Ecclesiis

lutheranis reiecta. Docebant igitur, talem esse divinae et humanae naturae coniunctionem, ut quicquid illi proprium, id huic etiam competere posse propter naturarum communicationem, divinamque naturam cum humana communicare posse, quae proprie ad ipsam pertineant. Contrariam sententiam tanquam Nestorii haeresin improbabant. Calviniani contra, neque unionem hypostaticam duarum naturarum in una persona, neque omnipraesentiam divinae naturae negabant nec eam duarum naturarum rationem, qua una persona Christi dici haberique deus et homo posset. Tamen non solum incommode dictum de verbali tantum, non autem reali communicatione idiomatum, sed etiam falsum esse dicebant, si quis velit divinae attributa humanae tribuere v. c. omnipraesentiam, quod tanquam Eutychianismum damnabant. Quae quam parum sibi constent atque conveniant, sponte intelligitur.

Copiose hac de re disputat Form. conc. Epit. art. 8. p. 605 sqq. copiosius etiam eiusdem Declaratio pag. 761 — 788.

Gallicana confessio haec habet: „Credimus, in una eademque persona, quae est Iesus Christus, vere et inseparabiliter duas illas naturas sic esse coniunctas, ut etiam sint unitae, manente tamen unaquaque illarum naturarum in sua distincta proprietate, ita, ut quemadmodum in ista coniunctione, divina Verbi natura proprietates suas retinens, mansit increata, infinita, et omnia replens: sic etiam humana manserit mansuraque sit in aeternum finita, suam illam naturalem formam, dimensionem atque adeo proprietatem habens, cui nimirum veritatem humanae naturae non ademerit resurrectio et glorificatio sive assumptio ad

dexteram Patris. Itaque sic Christum consideramus in sua Deitate, ut ipsum sua humanitate non spoliemus." Art. 15. in Corp. et Synt. I. p. 81. Anglicanae Eccles. art. 39. v. in Corp. et Synt. l. c. p. 100. art. 4. Catechismus Heidelbergensis ad propositam quaestionem 47. ita respondet: Christus est verus Deus et verus homo, itaque secundum naturam humanam iam non est in terris: at secundum divinitatem suam, maiestatem et Spiritum nullo unquam tempore a nobis abest. An vero isto pacto duae naturae in Christo non divelluntur, si non sit natura humana, ubicumque est divina? resp. Minime. Nam cum divinitas comprehendi non queat et omni loco praesens sit: necessario consequitur, esse eam extra naturam humanam, quam assumsit; sed nihilominus tamen esse in eadem, eique personaliter unitam permanere." l. c. p. 26. Confessio Brandenburgica hanc sententiam profitetur: „Belangende etliche Articul christlichen Glaubens, darüber soviel Streits und disputation eine geraume Zeit hero durch Anregung des Störenfrieds, des höllischen Geistes, in allen Landen erwecket worden, als von der Person des Herrn Christi — bekennen Se. Churf. Gn. hiemit öffentlich, daſs sie von Herzen gläuben, wie in Christo zwo unterschiedliche Naturen, die göttliche und die menschliche also persönlich vereiniget und verbunden, daſs sie nun und nimmermehr mögen oder können von einander getrennet werden und daſs jede Natur ihre gewisse natürliche Eigenschaften habe und behalte, auch in der persönlichen Vereinigung und dennoch eine wahre communion und gemeinschaft sey; also, daſs man recht und wol von Christo alles, was von Gott und alles, was von einem wahren Menschen mag gesagt werden, reden könne, als, daſs der Mensch Christus sey von Ewigkeit, nemlich nach seiner göttlichen Natur, daſs der Sohn Gottes gebohren sey aus dem Saamen Davids nach dem Fleisch, daſs der Herr der Herrlichkeit gekreuziget, dass Gott gestorben sey nach dem Fleisch, daſs Christus bey uns sey und bleibe bis ans Ende der Welt nach seiner unendlichen Natur: nach seiner göttlichen Majestät und kräftigen Beystand, nicht aber nach der Natur, nach welcher er gen Himmel gefahren und von dannen wieder kommen wird, welche ohne Vertilgung ihrer Eigenschaft auch in der höchsten Glori wesentlich nicht kann überall seyn, sintemal überall seyn, nur der göttlichen Natur zugeschrieben wird.— Die locutiones abstractionis, das ist, solche Art zu

reden, die Gottheit Christi hat gelitten, die Menschheit Christi ist almächtig, überall gegenwärtig und dergleichen, weil sie in der heiligen Schrift nicht zu finden und den Haubtsymbolis entgegen, auch extensionem, exaequationem et abolitionem naturarum et naturalium proprietatum, das ist, eine Ausdehnung, Vergleichung und Abtilgung der Naturen und natürlichen Eigenschaften auf dem Rücken tragen, wollen Se. Churf. Gn. ausgesetzet und niemand zu derselben ganz gefährlichen und hochärgerlichen Gebrauch gezwungen wissen, in sonderer Erwägung, daſs weder die orthodoxi patres, noch Lutherus also gelehret und daſs durch solche und dergleichen locutiones die Artikul des christlichen Glaubens wo nicht ganz und gar verleugnet, doch meistentheils verdunkelt und zweifelhaftig gemacht und viel merklichen bishero seyn damit geärgert worden." l. c. p. 4 sqq.

§. 74.

Pervenimus nunc ad tertium disputationis caput, quod est de praedestinatione. Qua de re primum ex historia controversiae scitu digna nonnulla praemittamus; deinde quid ipsa Theologia Calviniana doceat, cum contraria et Lutheranorum et Remonstrantium sententia afferemus; denique quid ceterae reformatae Ecclesiae hac de re statuant, videbimus. Negari autem primo non potest, Lutherum et Melanchthonem diutius favisse huic doctrinae. Quam enim ille in libro de servo arbitrio, hic vero in Locorum editionibus usque ad a. 1535. proponebat de necessitate factorum, de voluntatis humanae nullitate sententias, eae sine dubio praedestinationis doctrinam vehementer sapiunt. Tamen temporis progressu factum est, ut Lutherus nusquam ad eam sententiam rediret neque illam publice

lice profiteretur, neque Melanchthonis sollertiam inprobaret, qua publice se hac sententia abdicabat. Nec Zwinglius, nec Oecolampadius ad priorem illam Lutheri sententiam accesserunt. Waldenses etiam, se nunquam rigidiorem illam Lutheri sententiam probasse, testati sunt.

Lutheri lib. de servo arbitrio, a. 1525. germ. in Opp. ed. Walch. Tom. XIX. ed. Iac. Kimedoncius cum praefat. Heidelb. 1519. Bened. Picteti Virorum immortal. et b. mem. Lutheri et Calvini Consensus in quaest. de Praedestinatione et redempt. Iesu Chr. Genevae 1700. 8. Eiusdem sententiae erant Io. Alph. Turretinus, Stephanus Vitus, Io. Iac. Hottinger in Fatis doctrinae de praedest. et gratia Dei salutari. l. IV. c. 1. p. 12 sqq. Ex Lutheranis Calixtus in Consult. de tolerantia Reform. p. 12. et Pfaffius in Alloquio irenico ad protest. p. 11. et in diss. de Influxu dogmatis de praedest. et reprobationis decreto absoluto in praxin fidei et pietatis. p. 16. Io. Trellundi diss. de reformatore Ecclesiae b. Luthero, doctrinae absoluti decreti suspicione multis et manifestis evangelicae ipsius doctrinae testimoniis absoluto. Hafn. 1717. 4. „Wir gestehen ungezwungen, daſs der selige Lutherus eine Zeitlang, da er aus dem Wust der jämmerlich verderbten Theologiae scholasticae sich herausarbeiten muſste, in dem philosophischen Absolutismo gesteckt habe, aber kaum so tief, als Augustinus selbst, welcher sich auch diese Art zu philosophiren gefallen lieſs. — Er hat selbst mündlich gestanden (wie Phil. Nicolai in Examine Pieriano p. 383. meldet), daſs er es aus der Philosophie mit Erasmo wagen und nicht von dem in der heiligen Schrift geoffenbarten, sondern verborgenen Gott oder sofern er uns ganz unbegreiflich ist, von dem absoluten und nicht in heiliger Schrift geordneten und ordentlich geoffenbarten Recht Gottes hätte handeln wollen. — Es wird demnach von reformirter Seite Luthero mit Unrecht zugeschrieben, daſs er im theologischen Verstand ein Absolutist und dem Irrthume der Reformirten zugethan gewesen." Löscher ausführl. Hist. mot. II, B. 4. c. 10. p. 223. Rambach M. Lutheri wahre Meinung von der allgemeinen Gnade Gottes, der allgemeinen Kraft des Verdienstes

Christi, der ewigen Versehung Verstockung und and. dahin geh. Materien. 1727. J. G. Walch Einleit. in die Religionsstr. III. p. 330. Planck Gesch. d. prot. Lehrb. II. p. 131. De Melanchthone v. supra §. 32. „Quandoquidem omnia, quae eveniunt, necessario iuxta divinam praedestinationem eveniunt, nulla est voluntatis nostrae libertas." Locc. theol. a. 1521. et postea: „Qui potui dissimulare sententiam scripturae de praedestinatione, quando voluntatis nostrae libertatem per praedestinationis necessitatem adimit scriptura?" Deinde: „quod asperior paulo sententia de praedestinatione vulgo videtur, debemus illi impiae Sophistarum Theologiae, quae sic inculcavit nobis contingentiam et libertatem voluntatis nostrae, ut a veritate scripturae molliculae aures abhorreant." Loc. theol. l. c. in Herm. von der Hardt Hist. liter. Reform. P. IV. p 32 sqq. Calv. Epist. p. 133. 153. Scribebam nuper de illo doctrinae capite, in quo magis sensum tuum dissimulas, quam a nobis dissentis; epist. a. 1554. Mutatam sententiam quasi excusat rationesque mutationis reddit Melanchthon in epist. duab. ad Brentium datis ap. Io. Heinr. Hottinger Primitiae Heidelberg. p. 227. cfr. Alting Hist. theol. Amstel. 1664. 4. p. 296. Waldenses benigniorem suam sententiam declarabant in Epistola ad Ioh. Oecolampadium scripta, in qua reformationis tempore profitebantur, se ante quadraginta annos, si non a tempore Apostolorum, eam doctrinae formam secutos esse. „Insuper nihil est, quod magis imbecilles nos conturbet, nostra tamen, ut cognosco, ignorantia, quam quod audivi et apud Lutherum legi de libero arbitrio et Dei praedestinatione. Credebamus enim, omnibus hominibus aliquid virtutis naturaliter inditum esse a Deo, cui tamen plus, et cui minus, sicut experientia patet, hominem differre ab homine. Et sicut videtur innuere parabola de talentis et sicut etiam experientia videmus, herbis, plantis, lapidibus ceterisque omnibus rebus inesse naturalibus virtutem propriam a Deo inditam, qua ad multa possunt. — De praedestinatione autem credebamus, omnipotentem infinite ante coeli et terrae creationem praescivisse, quotquot salvi et reprobi fieri debeant: omnem tamen hominem fuisse ad vitam aeternam: reprobos quidem fieri sua culpa, id est, quia noluerunt obedire et servare mandata. At si omnia necessitate contingunt, ut Lutherus dicit et qui sunt praedestinati ad vitam, non possunt fieri reprobi, nec contra: quia praedestinatio divina non frustratur:

quorsum tot scripturae et praedicatores et medici corporales? nihil enim propter haec minus aut plus fiet, quia necessario contingunt omnia. Ap. Abr. Scultetum in Annal. Evang. passim per Europam renovati; decad. II. p. 295. 304 sqq.

§. 75.

In eadem doctrina perstitere Helveti priusquam Calvinus Augustinianam prorsus hac de re doctrinam resuscitaret, ingenii vi et eloquentia vehementer ornaret, summaque auctoritate cum discipulis suis defenderet. Prima hac de re controversia inter Lutheranos et Reformatos a. 1561. a Ioanne Marbachio mota est, qui coniunctos sibi contra Hieronymum Zanchium habebat ministros Ecclesiae Argentinensis. Ea lis, quantopere a pristina sententia deflexissent Lutherani, satis probavit atque potissimum effecit, ut in Formula concordiae huius rei sana explicatio proponeretur et contraria de praedestinatione doctrina tanquam minime ferenda in Ecclesia reiiceretur.

In Confessione helvetica a. 1536. a Bullingero, Grynaeo, aliis composita, adhuc modeste hac de re dicitur art. 5. „Status totius scripturae totus hic est: bene Deum hominum generi velle et eam benevolentiam per Christum Dominum declarasse, Filium suum, quae fide sola recipiatur. Haec autem charitas efficax sit et innocenti vita exprimatur." In Corp. et Synt. I. p. 67. Nec Zwinglium et Oecolampadium, Bullingerum et Musculum hac de re durius scripsisse constat. V. Holzfuſs de praedest. tract. p. 186. Io. Calvini Institutio christianae religionis, prim. ed. 1535. equidem utor ed. Genev. 1612. 8. et pertinent huc praecipue l. c. c. 16. et l. III. c. 21 — 24. Defensio sa-

nae et orthodoxae doctrinae de servitute et liberatione humani arbitrii adversus calumnias Alb. Pighii Io. Calv. clarissimo viro Phil. Melanchthoni a. 1543. Opp. VIII. p. 116 sqq. De aeterna Dei praedestinatione, qua in salutem alios ex hominibus elegit, alios suo exitio reliquit, item de providentia, qua res humanas gubernat; consensus Pastorum Genevensis Ecclesiae. l. c. p. 593 sqq. Brevis responsio ad diluendas nebulonis cuiusdam calumnias, quibus doctrinam de aeterna Dei praedestinatione foedare conatus est. l. c. p. 629 sqq. Petri Martyris Loci communes ed. Genev. 1627. fol. class. 3. c. 1. Theod. Bezae Quaest. et respons. christ. libellus ed. 4. Genev. 1573. 8. p. 105 sqq. Ei. ad Sycophantarum quorundam calumnias, quibus unicum salutis nostrae fundamentum i. e. aeternam Dei praedestinationem evertere nituntur, responsio. 1558. 8. a. 1544. Sebast. Castalio, Genev. schol. praef. cum nonnulla in Calvino reprehenderet et eam de praedestinatione sententiam sibi displicere palam profiteretur, munere et civitate privatus est. Io. Conr. Füeſslin Lebensgesch. Seb. Castalio. p. 7 sqq. Et quum a. 1551. Hieronymus Bolsecus hanc doctrinam impugnasset in concione publica, re ad senatum delata, ille in carcerem ductus, deinde urbe eiectus est. Io. Henr. Hottinger Hist. eccles. N. T. VIII. p. 730 sqq. Hieronym. Zanchii Miscellan. libri III. Neost. Palat. 1603. 4. Io. Henr. Hottinger l. c. p. 830. Zanchii Epist. T. II. p. 51. Löscher hist. mot. P. II. p. 286 sqq. Planck l. c. VI. p. 809 sqq.

§. 76.

Iam ad sententias ipsas explicandas pergamus. Ac primum quidem Calvini doctrinae de particulari decreto Dei obstat Lutheranorum ac Remonstrantium sententia de decreto Dei universali: ex quo quidem capitali dissensu sententiae sibi invicem oppositae ceterae omnes sponte fluunt. Nam Calvinus praedestinationem s. electionem esse aeternum et immutabile Dei consilium docet, quo quosdam homines voluerit

et gratiae Christi participes esse et in aeterna vita beatos hosque ita selegerit a ceteris, ut hos non electos morti et exitio reliquerit. Ea igitur ex mente Calvini electio est, quae reprobationi necessario et accurate opposita est et praedestinatio atque electio sunt synonymae; propterea que electionis caussam ait misericordiam et gratiam Dei, reprobationis autem nullam in Deo caussam, sed ipsum hominis peccatum, ne ad caussam reprobationis homines a Deo praedestinati videantur. Ingens igitur Calvinus inter bonos et malos stabilivit discrimen, ita, ut malus nullo modo unquam evadere bonus et electus queat. Secundum contrariam sententiam praedestinatio, quae dicitur, universaliori sensu saepius accipitur, non quatenus fundamentum est electionis et damnationis, sed prout ex effectu cognoscitur et ad providentiam Dei generalem spectat. Calvini autem illa doctrina duplici modo intelligitur, habita ratione obiecti praedestinationis. Sunt enim, qui consilium illud divinum iam ante lapsum, imo ante hominis creationem captum esse et praedestinationis obiectum neque hominem lapsum neque conditum, sed potius creabilem esse doceant. Haec Supralapsariorum doctrina, cui repugnat sententia Infralapsariorum, qui ordinem capti a Deo consilii in praevisione lapsus hominis constituunt.

„Praedestinationem vocamus aeternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de unoquo-

que homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes, sed aliis vita aeterna, aliis damnatio aeterna praeordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem praedestinatum dicimus." Calvini Inst. rel. christ. l. III. c. 21. p. 327. „Paulus Deum ita praedestinasse et quidem pro voluntatis suae beneplacito dicit. Quibus verbis evertit quaecunque in se ipsis imaginantur homines electionis suae media. Nam et quaecunque ad spiritualem vitam beneficia confert Deus, ex uno hoc fonte manare docet, quia elegit quos voluit Deus et antequam nati essent, gratiam, qua dignari eos volebat, seorsim illis repositam habet." l. c. c. 22. p. 330. „Sic ex Dei praedestinatione pendet eorum perditio, ut caussa et materia in ipsis reperiatur. Lapsus est enim primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat; cur censuerit, nos latet. Certum tamen est, non aliter censuisse, nisi quam videbat nominis sui gloriam inde merito illustrari. Vbi mentionem gloriae Dei audis, illic iustitiam cogita. Iustum enim esse oportet, quod laudem meretur. Cadit igitur homo, Dei providentia ita ordinante, sed suo vitio cadit. Pronuntiaverat paullo ante Dominus, omnia, quae fecerat, esse valde bona. Vnde ergo illa homini pravitas, ut a Deo suo deficiat? ne ex creatione esse putaretur, elogio suo approbauerat Deus, quod profectum erat a se ipso. Propria ergo malitia, quam acceperat a Domino puram, naturam corrupit, et sua ruina totam posteritatem in exitium secum attraxit. Quare in corrupta potius humani generis natura evidentem damnationis caussam, quae nobis propinquior est, contemplemur, quam absconditum ac penitus incomprehensibilem inquiramus in Dei praedestinatione." l. c. c. 23. p. 318. „Tametsi aeterna Dei providentia in eam, cui subiacet, calamitatem, conditus est homo, a se ipso tamen eius materiam, non a Deo sumpsit, quando nulla alia ratione sic perditus est, nisi quia a pura Dei creatione in vitiosam et impuram perversitatem degeneravit." l. c. p. 339. „Quod autem suas blasphemias longius extendunt, dum eum, qui sit a Deo reprobatus, perditurum operam dicunt, si innocentia et probitate vitae se illi approbare studeat; in eo vero impudentissimi mendacii convincuntur. Vnde enim tale studium oriri possit, nisi ex electione? Nam quicunque sunt ex reproborum numero, ut sunt vasa in contumeliam formata, ita non desinunt perpetuis flagitiis iram Dei in se provocare et evidentibus si-

gnis confirmare quod iam in se tamen est Dei iudicium, tantum abest, ut cum ipso frustra contendant." l. c. p. 340. „Quod autem aliqui in tempore fide a Deo donantur, aliqui non donantur, id ab aeterno ipsius decreto provenit, secundum quod decretum electorum corda, quantumvis dura, gratiose emollit et ad credendum inflectit; non electos autem iusto iudicio suae malitiae et duritiae relinquit." Canon. et decr. Syn. Dordrac. art. 6. in Actis S. D. p. 249. „Credimus, posteaquam tota Adami progenies sic in perditionem et exitium, primi hominis culpa, praecipitata fuit, Deum se talem demonstrasse, qualis est, misericordem et iustum. Misericordem quidem, eos ab hac perditione liberando et servando, quos aeterno et immutabili suo consilio pro gratuita sua bonitate Iesu Christo Domino nostro elegit et selegit, absque ullo operum eorum respectu. Iustum vero, reliquos in lapsu et perditione, in quam sese praecipitaverant, relinquendo." Confessio belgica, prout in Synodo Dortrechtana fuit recognita et approbata, art. 16. in Corp. et Synt. I. p. 135. Eadem fere habet Hungarica confessio, in Synodo Czengeriana composita in Corp. et Synt. I. p. 158. et Gallicana a. 1561. art. 12. in Corp. et Synt. I. p. 79 sqq. „Neve quisquam animum inducat, sive publice sive privatim proponere dubium, vel novum aliquod dogma fidei in ecclesiis nostris hactenus inauditum, verbo Dei, confessioni helveticae et *Synodi Dordracenae* canonibus repugnans." Form. cons. helvet. §. 26. pag. 130. ed. Amstelod. Copiose disputat Holzfus, Calvinum non esse annumerandum Supralapsariis. De praedestione, elect. et reprobatione tract. theol. p. 44 sqq. Sed qui hunc locum bene perspexerit, de eo non dubitabit. „Rursum excipiunt: nonne ad eam, quae nunc pro damnationis caussa obtenditur, corruptionem Dei ordinatione praedestinati ante fuerant? Quum ergo in sua corruptione pereunt, nihil aliud, quam poenas luunt eius calamitatis, in quam ipsius praedestinatione lapsus est Adam ac posteros suos praecipites secum traxit. Annon itaque iniustus, qui creaturis suis tam crudeliter illudit? Fateor sane, in hanc, qua nunc illigati sunt, conditionis miseriam Dei voluntate decidisse universos filios Adam, atque id est, quod principio dicebam, redeundum tandem semper esse ad solum divinae voluntatis arbitrium, cuius caussa sit in ipso abscondita. Sed non protinus sequitur, huic obtrectationi Deum subiacere. Occurremus enim cum Paulo in hunc modum: o homo,

tu quis es, qui disceptes cum Deo? num figmentum dicit ei, qui se finxit: cur me finxisti sic? annon habet potestatem figulus, ut ex eadem massa faciat vas aliud in honorem, aliud in contumeliam?" etc. Instit. chr. rel. c. 23. p. 336. Hunc tamen in censum refert Holzfusius Theod. Bezam, Wilh. Whitakerum, Wilh. Perkinsium, Franc. Gomarum, Ioh. Maccovium, Gisb. Voetium, alios, l. c. p. 45. et addit, non tamen ipsius reformatae ecclesiae in confessionibus publicis expressa, agnita, et professa sententia est. l. c. ipse refellit eam inde a p. 48 sqq. et Sublapsariorum s. Infralapsariorum doctrinam defendit. Estque ea non tantum multorum Reformatorum theologorum, Henrici Altingii, Frid. Spanhemii, Ioh. Wollebii, Marc. Frid. Wendelini, Sam. Maresii, Franc. Turretini, aliorum, sed et quarundam reformatarum ecclesiarum, atque ab iisdem publice agnita sententia.

„Deum aeterno immutabili decreto, in Iesu Christo filio suo ante iactum mundi fundamentum statuisse, ex lapso, peccatis obnoxio humano genere illos in Christo, propter Christum et per Christum servare, qui Sp. S. gratia in eundem eius filium credunt et in ea fideique obedientia per eandem gratiam in finem perseverant: contra vero, eos, qui non convertuntur et infideles in peccato et irae subiectos relinquere et condemnare, tanquam a Christo alienos: secundum illud evangelii Io. 3, 36. qui credit in filium, habet vitam aeternam, qui vero filio non assentitur, non videbit vitam aeternam, sed ira Dei manet super eum." Art. V. Remonstr. art. 1. cfr. art. 3. 4. „Reiicimus omnes, quos iam enumerabimus, errores 1. Quod Deus nolit, ut omnes homines poenitentiam agant et evangelio credant. 2. Quod nolit Deus, ut omnes salventur: sed quod quidam non ratione peccatorum suorum, verum solo Dei consilio, proposito et voluntate ad exitium destinati sint, ut prorsus salutem consequi non possint." Form. Conc. Epit. pag. 621. „Dubium quidem non est, quin Deus exactissime et certissime ante tempora mundi praeviderit et hodie etiam norit, quinam ex eorum numero, qui vocati sunt, in Christum credituri, aut non credituri sint: qui ex conversis in fide perseveraturi sint, qui non: et qui in peccata gravia prolapsi, reversuri sint et qui in sceleribus perituri. Et haud dubie etiam numerus eorum, qui salvabuntur et damnandorum Deo probe notus est. Quia vero Deus talia arcana soli suae sa-

pientiae reservavit: neque ea de re quicquam in verbo suo revelavit: multo vero minus haec mysteria cogitationibus nostris indagare nos iussit: quin potius ne id conaremur, prohibuit: non decet nos cogitationibus nostris indulgere, statuere aliquid, ratiocinari aut illa occultissima investigare velle: sed in verbo ipsius revelato (ad quod ille nos ablegavit) acquiescere nos oportet." l. c. Declarat. p. 812.

§. 77.

Speciale Dei decretum ex Calvini sententia etiam absolutum est nec ab ullis conditionibus aut eventibus pendet: ex Remonstrantium et Lutheranorum sententia ordinatum est (respectivum), praescientia limitatum, ita, ut mera quidem gratia sua et misericordia, nec ulla meriti respectu electos post lapsum susceperit, reprobos autem ex praevisa illorum malitia damnaverit. Calvinus praescientiam a praedestinatione nullo modo distinguendam sed utramque eundem actum in Deo esse asseruit. Nec Infralapsarios hac in re secum habet consentientes, qui mitiorem doctrinam defendunt ac seriem decretorum divinorum ita ordinant, ut Deum hominis lapsum praevisum permisisse, lapsorum quosdam ex misericordia elegisse, reliquos ex iustitia propter peccata praevisa damnasse dicant.

„Praedestinationem, qua Deus alios in spem vitae adoptat, alios adiudicat aeternae morti, nemo, qui velit pius censeri, simpliciter negare audit, sed illam multis cavillis involvunt, praesertim vero, qui praescientiam faciunt eius caussam. Ac nos quidem utram-

que in Deo statuimus: sed praepostere dicimus, alteram alteri subiici. Praescientiam quam tribuimus Deo, significamus, omnia semper fuisse ac perpetuo manere sub eius oculis, at eius notitiae nihil futurum aut praeteritum, sed omnia sint praesentia et non ex ideis imaginata, (qualiter nobis obversantur ea, quorum memoria mens nostra retinet) sed tanquam ante se posita vere intueatur ac cernat." Inst. rel. chr. l. III. c. 21. p. 327. „Quum non alia ratione quae futura sunt, praeviderit Deus, nisi quia ita, ut fierent, decrevit, frustra de praescientia lis movetur, ubi constat, ordinatione potius et nutu omnia evenire." l. c. c. 23. p. 358. „Iterum quaero, unde factum est, ut tot gentes una cum liberis eorum infantibus aeternae morti involveret lapsus Adae absque remedio, nisi quia Deus ita visum est? Hic obmutescere oportet dicaces alioquin linguas. Decretum quidem horribile fateor; inficiari tamen nemo poterit, quin praesciverit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet et ideo praesciverit, quia decreto suo sic ordinarat. — Non dubitabo igitur cum Augustino simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem atque id necessario futurum esse, quod ille voluerit, quemadmodum ea vere futura esse, quae praeviderit." l. c. p. 348. „Dic enim, quoniam futuros praevidit sanctos, ideo elegit, et ordinem Pauli invertes. Sic ergo colligere tuto potes, si elegit nos, ut sancti essemus, non elegit, quia futuros tales praevidebat. Pugnant enim inter se haec duo, habere pios ab electione, ut sancti sint et ad eam ratione operum pervenire." l. c. c. 22. p. 330. „Vides, ut in solum Dei arbitrium utrumque conferat Paulus? ergo si non possumus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam ita illi placet; neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam eius voluntatem. Quum enim dicitur Deus vel indurare vel misericordia prosequi, quem voluerit, eo admonentur homines nihil caussae quaerere extra eius voluntatem." l. c. p. 335. V. Acta Synt. nat. Dordrac. art. 9. „Haec electio facta est non ex praevisa fide fideique obedientia, sanctitate, aut alia aliqua bona qualitate et dispositione etc." Art. 10. „Caussa gratuitae electionis est solum Dei beneplacitum." l. c. p. 249.

Remonstr. quinque Artic. c. art. 1. Et Holzfusius ita docet. „Est electio decretum Dei, quo Deus ex benevolo affectu voluntatis suae ante iacta mundi fun-

damenta ex hominibus *in praescientia sua lapsis, vocatis et relapsis* quosdam in Christo et propter Christum eligere i. e. fide iustificante et salvifica donare, per fidem iustificare, in filios adoptare, sanctificare et in aeternum glorificare constituit in laudem gloriosae gratiae suae." De praedest. tract. p. 232. „Si absolutum hic contradistinguatur ordinato et respectivo eoque negetur respectus ad Christum et ordinatio mediorum, negamus hoc decretum absolutum esse, sed dicimus, illud respectu ad Christum et conditione fidei ac resipiscentia, mediisque salutis ita ordinatum esse, ut nemo salutis aeternae particeps fieri debeat, nisi qui mediis a Deo ordinatis usus fuerit, conditionemque a Deo positam viribus gratiae praestiterit." l. c. p. 253. — „Qui igitur voluntatem Dei revelatam inquirunt eoque ordine progrediuntur, quem d. Paulus in ep. ad Rom. secutus est (qui hominem prius ducit ad poenitentiam, ad agnitionem peccatorum, ad fidem in Christum, ad obedientiam mandatorum Dei, quam de aeternae praedestinationis mysterio loquatur) iis doctrina de praedestinatione Dei salutaris est et maximam consolationem affert etc." Form. Conc. Epit. p. 619. Declar. p. 809. „Sed et hoc magna cura considerandum est: quando Dominus peccata peccatis punit, hoc est, cum eos, qui aliquando conversi fuerant, propter subsequentem securitatem carnalem, impoenitentiam, contumaciam in sceleribus et propter voluntaria flagitia punit excoecatione et induratione: id non ita accipiendum esse, quasi Deus nunquam serio voluisset, ut tales ad agnitionem veritatis pervenirent et salutem consequerentur. Vt enim haec voluntas Dei reuelata est: quod Deus omnes resipiscentes et in Christum credentes in gratiam recipere velit: ita et haec est Dei reuelata voluntas, quod eos, qui sponte sese a sancto Dei mandato avertunt, in coinquinationes mundi se denuo implicant et Satanae cor adornant, Spiritumque gratiae contumelia afficiunt, severissime punire velit et quod tales, si in impietate perseveraverint, indurandi, excoecandi et in aeternum damnandi sint." l. c. p. 820.

§. 78.

Ex Calvini denique sententia particularis est omnis per Christum redemtio, vocatio, iustificatio, gratia irresistibilis, omneque eius meritum et salutaris mors ad electos solos spectat. Quapropter, cum Calviniani doceant gratiam Dei in solis electis efficacem esse, tantum abest, ut agnoscant omnibus dari gratiam sufficientem sive ad conversionem, sive ad peccata vitanda, ut hanc solis electis obtingere contendant. Hinc Particularistarum nomen. Ex Lutheranorum et Remonstrantium doctrina generalis et promiscua non solum electorum, sed etiam non electorum seria vocatio est. Quam qui ex Reformatorum coetu sententiam amplectuntur, Vniversalistae vocantur propterea, quod lapsis quoque Christum esse missum, lapsos quoque ad mediatorem vocari cum fidei et resipiscentiae mandato, quin homines omnes, qui speciem humanam servant, vel Turcas et Gentiles vocabiles arbitrantur. Multiplex statuunt Dei consilium, hoc ordine captum, ut primum locum teneat decretum creationis, secundum redemtionis, tertium electionis: quae omnia humana ratione concepta in Deo unum simplicemque actum esse monent. Quin haud pauci inter Reformatos eo progrediuntur, ut Lutheranis omnino consentientes statuant, Deum prius decrevisse, Christum in mundum mittere, quam quosdam homines ad vitam et salu-

tem per veram in Christum fidem perducere.

„Ecce vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant; lucem accendit, sed ut reddantur coeciores; doctrinam profert, sed qua magis obstupescant; remedium adhibet, sed ne sanentur. Atque hanc prophetiam adducens Iohannes Iudaeos Christi doctrinae non potuisse credere asserit, quia in eos incumberet haec Dei maledictio. Neque hoc quoque controverti potest, quos Deus illuminatos non vult, illis doctrinam suam aenigmatibus involutam tradere, ne quid inde proficiat, nisi ut in maiorem hebetudinem tradantur. Testatur enim Christus, se ideo solis Apostolis edisserere parabolas, in quibus apud multitudinem loquütus erat, quia his datum sit, nosse mysteria regni Dei, vulgo non item. Quid, inquies, sibi vult Dominus eos docendo, a quibus ne intelligatur curat? Considera, unde vitium, et desines interrogare." Calv. Inst. rel. chr. l. III. c. 24. p. 347. „Quod ergo Scriptura clare ostendit dicimus, aeterno et immutabili consilio Deum semel constituisse, quos olim semel assumere velit in salutem, quos rursus exitio devovere. Hoc consilium quoad electos in gratuita eius misericordia fundatum esse asserimus, nullo humanae dignitatis respectu, quos vero damnationi addicit, his iusto quidem et irreprehensibili, sed incomprehensibili ipsius iudicio vitae aditum praecludi. Iam vero in electis vocationem statuimus, electionis testimonium. Iustificationem deinde alterum eius manifestandae symbolum, donec ad gloriam, in qua eius complementum exstat, pervenitur. Quemadmodum autem vocatione et iustificatione electos suos Dominus signat, ita reprobos vel a notitia sui nominis vel a Sp. S. sui sanctificatione excludendo, quale maneat eos iudicium, istis veluti signis aperit." l. c. c. 21. p. 328. Synodus Dordracena ita docet in secundo doctrinae capite de morte Christi et hominum per eam redemtione: „Fuit hoc Dei patris liberrimum consilium et gratiosissima voluntas atque intentio, ut mortis pretiosissimae filii sui vivifica et salvifica efficacia sese exerceret in omnibus electis, ad eos solos fide iustificante donandos et per eam ad salutem infallibiliter perducendos: hoc est, voluit Deus, ut Christus per sanguinem crucis, quo novum foedus confirmavit, ex omni populo, tribu, gente et lingua, eos omnes et solos, qui ab aeterno ad salutem electi

et a patre ipsi dati sunt, efficaciter redimeret; fide, quam, ut et alia Sp. S. salvifica dona, ipsis morte sua acquisivit, donaret: ab omnibus peccatis, tum originali, tum actualibus, tam post, quam ante fidem commissis sanguine suo mundaret; ad finem usque fideliter custodiret, tandemque absque omni labe et macula gloriosos coram se sisteret." Art. 8. Acta Syn. nat. Dordr. p. 258.

Remonstr. artic. quinque: „Proinde Iesum Christum mundi servatorem pro omnibus et singulis mortuum esse atque ita quidem, ut omnibus per mortem Christi reconciliationem et peccatorum remissionem impetraverit: ea tamen conditione, ut nemo illa remissione peccatorum re ipsa fruatur, praeter hominem fidelem et hoc quoque secundum evangelium, Io. 3, 16. et Io. 2, 2." Art. 2. cfr. art. 4. 5. Vid. Holzfusii tract. de praedest. p. 74. 75. et Form. Conc. Ep. haec habet: „Christus omnes peccatores ad se vocat et promittit illis levationem. Et serio vult, ut omnes homines ad se veniant et sibi consuli et subveniri sinant. His sese redemtorem in verbo offert et vult, ut verbum audiatur et ut aures non obturentur, nec verbum negligatur et contemnatur. Et promittit, se largiturum virtutem et operationem Sp. S. et auxilium divinum, ut in fide constantes permaneamus et vitam aeternam consequamur." p. 618. „Vera igitur sententia de praedestinatione ex Evangelio Christi discenda est. In eo enim perspicue docetur, quod Deus omnes sub incredulitatem concluserit, ut omnium misereatur et quod nolit quemquam perire, sed potius, ut omnes convertantur et in Christum credant." l. c. p. 619. cfr. Declar. p. 804 sqq. 814 sqq. Sententia denique illa, ex qua decreto de mittendo Christo subordinatur alterum de eligendo et reprobando, prorsus conveniens doctrinae Lutheranorum, Sohnii est, olim in Acad. Heidelb. Theol. Prof. in Exegesi praecipuor. artic. conf. August. tract. de aeterna praed. II. p. 1000. Et ad eam accedunt omnes qui Cameronis et Amiraldi methodum sequuntur. V. Lud. le Blanc Theses theolog. de decretor. diuinor. ordine circa electos et reprobos p. 179 sqq. Hi enim Vniversalistae hypothetici appellantur propterea quod omnibus Deum parasse salutem arbitrantur sub conditione: si credant omnes. Io. Dallaei apologia pro duabus Ecclesiar. Gallicar. Synodis. Amst. 1653. 8. V. Christ. Eberh. Weismanni Introd. in mem. Hist. s. n. T. P. II. p. 910. Christ. Matth.

Pfaffi diss. de Form. conf. helv. c. 1. p. 5 sqq. Pertinet huc etiam Sam. Strimesii χαριτολογια sacra s. Systema grat. div. i. e. conciliationis gratiae Dei salutif. Vnivers. et partic. tentamen. Francof. ad Viadr. 1713. 4.

§. 79.

Cetera Ecclesiae reformatae symbola, quamquam fere omnia de praedestinatione dicunt, tamen ad Remonstrantium et Lutheranorum, omnium denique Vniversalistarum sententias propius accedunt. Ac Theologi quidam ipsi et Calvini placita et Concilii Dordraceni decreta ad mitiorem sensum trahere conati, neque tamen a Calvini genuina sententia recessisse palam professi sunt. Attamen consensus Theologorum et Ecclesiarum communis non tam honorifice sensit de illius doctrina, praesertim absoluti decreti, ut publicis confessionibus eam insererent, nec ulla exstat confessio inde a Dordracena, quae absoluti decreti explicitam mentionem iniiceret ad exponendum Dei consilium de electis et reprobis, imo haud paucae sunt, quae vel reiicientes, quae a nonnullis Theologis asperius hac de re scripta sunt, generaliorem doctrinam profiteantur, praetermissis omnibus quaestionibus subtilioribus; nonnullae vero, quae luculentissimis verbis ab eadem doctrina abhorreant, ita, ut iam universaliori Ecclesiarum reformatarum convenientia omne fere hac in re discrimen

penitus sublatum esse dici non sine caussa possit.

Pertinet huc prae ceteris ipsa helvet. conf. a. 1566. ea enim docet, Deum nos non sine medio, sed in Christo et propter Christum elegisse. c. 10. in Corp. et Synt. I. p. 14 sqq. Iesum Christum, Dominum nostrum unicum et aeternum generis humani, adeoque totius mundi esse servatorem. c. 11. l. c. p. 17. Semper et omnibus peccatoribus aditum patere ad Deum. c. 14. l. c. p. 24. „Ergo non sine medio, licet non propter ullum meritum nostrum, sed in Christo et propter Christum nos elegit Deus, ut qui iam sunt in Christo insiti per fidem, illi ipsi etiam sint electi, reprobi vero, qui sunt extra Christum, secundum illud Apostoli, vos ipsos tentate, num sitis in fide." — „Et quamvis Deus norit, qui sint sui et alicubi mentio fiat, paucitatis electorum, bene sperandum tamen est de omnibus, neque temere reprobis quisquam annumerandus est." l. c. p. 14. — Anglicanae Ecclesiae Art. XXXIX. ita loquuntur: Praedestinatio ad vitam est aeternum Dei propositum, quo ante iacta mundi fundamenta suo consilio, nobis quidem occulto, constanter decrevit, eos quos in Christo elegit ex hominum genere a maledicto et exitio liberare utque (ut vasa in honorem afficta) per Christum ad aeternam salutem adducere. Vnde qui tam praeclaro Dei beneficio sunt donati, illi spiritu eius, oportuno tempore operante, secundum propositum eius vocantur, vocationi per gratiam parent, iustificantur gratis, adoptantur in filios Dei, unigeniti eius Iesu Christi imagini efficiuntur conformes, in bonis operibus sancte ambulant et demum ex Dei misericordia pertingunt ad sempiternam felicitatem. — Deinde promissiones divinas sic amplecti oportet, ut nobis in sacris literis generaliter propositae sunt et Dei voluntas in nostris actionibus ea sequenda est, quam in verbo Dei habemus diserte revelatam." Art. XVII. in Corp. et Synt. I. p. 102. cfr. Art. 2. 7. 15. 31. Ita sentiunt Episcopales fere omnes. „Vnde manifestum est, hanc doctrinam in se ipsa, quamvis quibusdam sub specie humilitatis possit imponere, supplantatricem esse ac vastatricem universae divinae vitae, radicis pariter ac ramulorum, hoc est, infirmat etiam fidem hominum in Evangelio (nempe si hoc serio severeque illis inculcetur, tanquam speciale Evangelii propositum), omnes eorum

conatus

conatus ad bona opera sufflaminat, eosque prorsus ab omni studio revocat beatae illius regenerationis etc." Henr. Mori Opp. theol. p. 411 sqq. cfr. Gilb. Burnet expos. unde quadraginta articulorum eccles. Anglic. Lond. 1699. Guil. Nicholsii Def. eccles. Anglic. P. I. c. 5. I. G. Walch Einl. in die Religionsst. III. p. 814 sqq. — Catechismus Heidelbergensis: „Quid credis, cum dicis: passus est? resp. Eum toto quidem vitae suae tempore, quo in terris egit, praecipue vero in eius extremo, iram Dei adversus peccatum universi generis humani, corpore et anima sustinuisse, ut sua passione, tanquam unico sacrificio propitiatorio corpus et animam nostram ab aeterna damnatione liberaret et nobis gratiam Dei, iustitiam et vitam aeternam acquireret." Qu. 37. p. 22. Confessio Anhaltina haec habet. „Praedestinatio proprie non ad numerum, qui in Deo mentis est actio, sed potius ad consilium liberrimae ipsius voluntatis referri debet. Ad consilium, inquam, seu propositum, et Decretum Dei aeternum et immotum de unico illo eodemque modo recipiendi homines post lapsum in gratiam sine prosopolepsia et propter solum filium mediatorem vera fide apprehensum. Qui modus patefactus in evangelio, ut est immutabilis et nulla Diaboli vi aut fraude, nullaque calamitatis acerbitate vel everti, vel irritus piis reddi potest: sic neminem prorsus, quod quidem ad paternam clementissimi Dei voluntatem excludit: cum simul cum assumta natura toti humano genere communi communem etiam salutis nostrae caussam in se receperit mediator, nec venerit aliquos saltem, sed totum genus humanum salvare, quod perierat. Vnde etiam universalem gratiae promissionem tot asseverationibus repetitam, sanctissimo insuper non tantum iuramento, sed et baptismi, ad quem omnes gentes invitat, sacramento, tanquam universali sigillo obsignare dignatus est: sititque omnium hominum salutem adeo, ut ad agendam poenitentiam nequaquam aliquos duntaxat sed omnes inde usque ab instauratae ecclesiae initio, usque ad finem mundi, severissimo mandato obliget, a cuius obedientia nemini unquam immunitatem concessit, nec concessurus est, donec in hoc orbe terrarum evagelii vox audietur." — Secundum beneplacitum ac consilium clementissime voluntatis suae, per ac propter Christum ut mediatorem et in Christo tanquam capite, in quo nos iam ante fundamenta mundi iacta dilexerit, decreto immutabili destinavit vitae aeternae omnes ad Christum vera fide confu-

gientes et in hac usque ad finem vitae perseverantes. c. 11. p. 47. Confessio Marchica ita docet. „Im Artikel von der ewigen Gnadenwahl oder Versehung zum ewigen Leben erkennen und bekennen Se. Churf. Gn. dafs derselbe der allertröstlichen einer sey, darauf sich nicht allein die andern alle, sondern auch unsere Seligkeit am meisten gründet, dafs nämlich Gott der Allmächtige aus pur lauter Gnaden und Barmherzigkeit, ohn alles Ansehen der Menschen Würdigkeit, ohn allen Verdienst und Werk, ehe denn der Welt Grund gelegt worden, zum ewigen Leben verordnet und auserwählet hat alle so an Christum beständig gläuben, wisse auch und erkenne gar wohl die Seinen und wie er sie von Ewigkeit her geliebet, also schenkt er auch ihnen aus lauter Gnaden den rechtschaffenen wahren Glauben und kräftige Beständigkeit bis ans Ende, also, dafs dieselbe niemand aus der Hand Christi reissen und niemand von seiner Liebe scheiden könne, dafs ihnen auch alles, es sey gutes oder böses, zum besten gereichen müsse, weil sie nach dem Fürsatz berufen sind. So hab auch Gott nach seiner strengen Gerechtigkeit alle, die an Christum nicht gläuben, von Ewigkeit übersehen, denselben das ewige höllische Feuer bereitet, wie denn ausdrücklich geschrieben stehet: wer an den Sohn nicht gläubet, der wird das Leben nicht sehen, sondern der Zorn Gottes bleibet (ergo ist er zuvor schon) über ihm, nicht, dafs Gott eine Ursach sey des Menschen Verderben, nicht das er Lust habe an der Sünder Tod, nicht, dafs er ein Stifter und Antreiber der Sünde sey, *nicht, dafs er nicht alle wolle selig haben*, denn das Widerspiel durchaus in der heiligen Schrift zu finden ist, sondern, dafs die Ursach der Sünde und des Verderbens allein bey dem Satan und in den Gottlosen zu suchen, welche wegen ihres Unglaubens und Ungehorsams von Gott zum Verdammnifs verstofsen. Item, dafs an niemands Seligkeit zu zweifeln, so lang die Mittel der Seligkeit gebraucht werden, weil allen Menschen unwissend, zu welcher Zeit Gott die seinen kräftiglich berufe, wer künftig gläuben werde oder nicht, weil Gott an keine Zeit gebunden und alles nach seinem Wohlgefallen verrichtet. Hierentgegen verwerfen Se. Churf. Gn. alle und jede zum Theil gotteslästerliche, zum Theil gefährliche opiniones und Reden, als dafs man in den Himmel hinauf mit der Vernunft klettern und allda in einem sonderlichen Register oder in Gottes

geheimer Canzley und Rathstuben erforschen müsse, wer da zum ewigen Leben versehen sey oder nicht, da doch Gott das Buch des Lebens versiegelt hat, daſs ihm wohl keine Creatur hinein gucken wird. Item, daſs Gott propter fidem praevisam, wegen des Glaubens, so er zuvor ersehen, etliche auserwählet habe, welches pelagianisch; daſs er dem meisten Theil die Seligkeit nicht gönne, welchen er absolute, bloſshin, ohne einige Ursach, auch nicht wegen der Sünde, verdammet, da doch der gerechte Gott niemand zur Verdammniſs beschlossen, denn wegen der Sünde und derwegen der Rathschluſs der Verwerfung zur Verdammniſs nicht ein absolutum decretum, ein freyer lediger Rathschluſs zu achten — item, daſs die auserwählten leben mögen, wie sie immer wollen, dagegen helfe denen, so nicht erwählet, kein Wort, kein Sacrament, keine Frömmigkeit etc." Conf. Fid. Io. Sigism. elect. Brandenb. p. 12 sqq.

CAP. 3.

DE EXTERNO STATV ET PERICVLIS REVNIONVM FACTIS.

§. 80.

Reformati quum inde ab initio dissensionis rationi latiorem campum, in quem excurrere possit, aperirent, minusque mysteria, praesertim in Sacramentis, spectarent, quam ratiocinando horum mentem atque naturam indagare et assequi studerent, non

solum hac in re ulterius, quam Lutherani, progrediebantur, sed Protestantismi etiam ingenium excolendum et promovendum multo magis curabant. Hinc Reformati ab his olim accusabantur abusus rationis, de quo diutius et acriter dimicabatur, indeque ad nascendas plurimas sectas ansam praebebant. Ita quum quid significent Sacramenta, Reformati maxime spectent, factum est, ut, quamvis ritibus ac ceremoniis sint iniquiores, tamen accidentalia quaedam, quae ad Sacramentorum administrationem pertinent, pie accurateque observent proptereaque et communem panem distribuant, cuius loco Lutherani placentulas orbiculares et in Romana Ecclesia usitatas adhibent, quas hostias et oblatas appellant, et panem illum frangere soleant, in memoriam et symbolum fracti corporis Christi.

Nicolai Vedelii Rationale theologicum s. de necessitate et vero usu principiorum rationis in argumentis theologicis, libri tres. Genevae 1628. Contra quem librum scripta sunt Calovii consideratio rationalis theologici. Rostoch. 1636. Musaei de usu principiorum rationis et philosophiae in controv. theol. l. I. c. 7 sqq. cfr. Scherzer Collegium anti-Calvinian. p. 15. Iac. Maelini colleg. anti-Calvinianum disp. 7. Ioh. Fridr. Mayer de quaest. theol., in quantum adducat reformatos discrimen hoc principium: fidei dogmata esse rationis arbitrio submittenda. Gryphis. 1704. Pfaffii introd. in hist. theol. lit. P. I. p. 292. I. G. Walch Einleit. in die Religionsstr. III. p. 154. Fr. Schlegel Vorles. über die neuere Gesch. Wien 1811. p. 429 sqq. —

Marc. Fried. Wendelini christian. Theol. l. I. c. 23. Franc. Burmanni Synops. Theol. l. VII. c. 10. Franc. Turretini Instit. Theol. elenct. loc. 19. qu. 24. Dan. Wyttenbach Tentamen Theol. dogm. l. 10. Phil.

Iul. Rehtmeyer diss. de oblatis eucharisticis, quae hostiae vocari solent. Helmst. 1702. 4. Si quis videre vult, quam parum docte et exquisite hac de re Polemici disputare solebant, adeat Io. Ern. Schubert Institutt. theol. polem. P. III. c. 2.

§. 81.

Imaginum in templis collocandarum usus ab Ecclesia Lutherana admittitur, tanquam adiaphoron, a Reformata prorsus reiicitur ut perniciosum institutum et ad superstitionem facillime declinans. Qua de re dissensionis fundamentum ex historia repetendum, a Carolostadio et Luthero iactum, communi repugnantia contra Catholicorum nimiam erga imagines reverentiam confirmatum, denique singulari etiam praeceptorum Decalogi divisione, a Reformatis facta, stabilitum est. Lutherani Augustinianam praeceptorum enumerationem sequuntur, qua praeceptum de non faciendis imaginibus omittitur. Quae vero olim moveri solebant quaestiones controversae: utrum per sacramentum baptismi homo re ipsa regeneretur fidesque illi conferatur, an vero illa confirmetur tantum et obsignetur fidesque roboretur; deinde, utrum exorcismus debeat necessario adhiberi in baptismo, nec ne; porro, num baptismi Sacramentum in casu necessitatis administrari infantibus a laicis etiam, quin a mulieribus possit; tandem, utrum in oratione dominica nomine πονηροῦ satanas significetur, an malum mora-

le; denique utrum in publicis sacris orationibus pericopis ecclesiasticis sit utendum, nec ne: hae omnes eius profecto generis sunt, de quibus nostris temporibus haud facile quisquam certet.

„Das Bildstürmen habe ich also angegriffen, dafs ich sie zuerst durch das Wort Gottes aus den Herzen risse und unwerth und veracht machte, wie es denn auch also geschehen ist, ehe denn D. Carlstadt vom Bildstürmen träumete. Denn wo sie aus den Herzen sind, thun sie vor den Augen keinen Schaden. Aber D. Carlstadt, dem nichts gelegen ist an den Herzen, hat das umgekehrt und sie aus den Augen gerissen und im Herzen stehen lassen." Luther. wid. die himml. Propheten a. 1525. Opp. Altenb. III. p. 42. Declar. Form. Conc. p. 789 sqq. Ioh. Schröder apodixis de imaginibus ad habendum, sed non ad colendum christiano populo concessis. Gerhard Locc. theol. T. III. p. 50. Calov. Syst. locor. theol. T. XI. p. 48.

„An non autem in templis imagines tolerari possunt, quae pro libris sint imperitae multitudini? resp. Minime. Neque enim decet nos sapientiores esse Deo, qui Ecclesiam suam non mutis simulacris, sed viva praedicatione verbi sui vult erudiri." Cat. Heidelb. qu. 98. cfr. qu. 97. Riveti explic. decal. I. p. 1257. Marckii comp. theol. christ. c. 12. p. 237. — „Praeceptum secundum: ne sculpas tibi simulacrum etc." Cat. Heidelberg. Qu. 92. „Eius generis hanc rem esse meminerint, in qua liberum cuique iudicium esse debeat, ob quam non sit contentiose cum dissentiente pugnandum." Calv. Inst. rel chr. c. 3. Vrsini explic. catech. p. 686.

Gruner Instit. polem. p. 234 sqq. Cfr. Stange theol. Symmicta II. p. 389 sqq.

§. 82.

Quum ad normam simplicis status primitivae Ecclesiae revocare restauratam Ec-

clesiam paulloque longius a Romana recedere conarentur Reformati, regimen etiam ecclesiasticum episcoporum,*) quorum in locum apud Lutheranos Superintendentes et Consistoria successere, penitus reiiciebant ac presbyterianam inspectionem praeferebant. Qua in re constituenda Anglicana Ecclesia regnans (episcopal church, high church), Catholicismi omnino formam externo suo statu expressam prae se ferens, a ceteris omnibus Ecclesiis reformatis discedit, cuius quidem constitutionis caussa et ratio in Historia reformationis potissimum quaerenda est. Denique ex liberiori Reformatorum ingenio, rationisque usu et ipsorum interno statu ecclesiastico, cur liberas civitates ac res publicas Monarchiis non solum praeferendas existimaverint sed ad formandas etiam haud parum ipsi fecerint, acquiescentibus tamen Lutheranis in Monarchiis temperatis, facile intelligitur.

„Graecum est et inde ductum vocabulum, quod ille, qui praeficitur, eis, quibus praeficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens: επι quippe *super*, σκοπος vero intentio est, ergo επισκοπειν, si velimus, latine *superintendere* possumus dicere." Augustin. de civit. Dei l. 19. c. 19. l. 1. c. 9. V. Chemnitii Loci theol. c. 7. p. 28. Quenstaedt Syst. theol. P. IV. c. 1 p. 960. I. G. Walch Einleit. in die Religionsstr. III. p. 405 sqq. Ei. Biblioth. theol. sel. II. p. 464. Benthem Engländ. Kirchen- und Schulenst. B. 3. c. 16. Stäudlin kirchl. Geographie und Statistik I. p. 99. 129 sqq. Schlegel l. c. p. 430.

§. 83.

Praeterea multae sunt caussae, ex quibus in diversissimis Europae regionibus a Lutherana seiuncta fuit Reformatorum doctrina et stabilita Ecclesia. Eam publice recipi iussit in terris sibi subiectis Fridericus III. Elector Palatinus a. 1560; et post Ludovicum a. 1576, qui Lutheranos restituit, Iohannes Casimirus a. 1583. Deinde a. 1580. in terris Bipontinis, ac paullo post in Nassoviensibus, Hanoviensibus, Isenburgensibus provehi coepit. Bremensis Ecclesia a. 1581. reformatam doctrinam publice recepit; a. 1595 Anhaltina; a. 1605 Hassiaca et Brandenburgica a. 1614. Anglia, regnante Elisabetha, ad Calvinismi castra transiit, sed scissa simul in Episcopalium et Puritanorum partes; ex his orta Presbyterianorum et Independentium s. Congregationalium discrimina. Scotia, Iohannis Knoxii, Calvini discipuli, industria Genevensium ritus et dogmata accepit. Belgae foederati cum Calvini doctrina et institutis a. 1571. reformatae ecclesiae nomen publice sibi tribuit. Nec defuere, qui Poloniae, Borussiae, Hungariae et Transsylvaniae seculo iam XVI. eandem doctrinam inferrent singulasque ecclesias instituere conarentur. Quae omnes ad hunc usque diem varia fortuna florere non desierunt.

Struve pfälz. K. Hist. c. 5 sqq. Henr. Alting hist. de Eccles. palat. c. 31. Stäudlin kirchl. Geographie und Statistik II. p. 523 sqq. — Löscher ausführl. Hist.

mot. III. l. 6. c. 8. — Salig Hist. d. Augsb. Conf. III. p. 715. 776 sqq. Stäudlin l. c. p. 411 sqq. — Io. Christ. Beckmann Hist. d. fürstl. Hauses Anhalt. II. P. 6. p. 133. Stäudlin l. c. p. 502. — id. l. c. 393 sqq. 476. 511 sqq. — Gilb. Burnet Hist. reform. Anglic. II. p. 16 sqq. 267. Gr. Wilh. Alberti Briefe über den Zust. d. Relig. u. Wissensch. in Grosbritt. IV. p. 1039. Benthem engländ. Kirchen- u. Schulstaat. Stäudlin I. p. 129. — Wilh. Robertson Gesch. v. Schottland unter der Reg. der K. Maria und des K. Iac. VI. I. p. 137 sqq. Stäudlin l. c. p. 188 sqq. — Hug. Grotii Annal. et Hist. de reb. belg. Amst. 1658. 12. l. II. p. 58. Stäudlin l. c. II. p. 218 sqq. — id. l. p. 355 sqq. 382 sqq. 388.

§. 84.

Vix ortum et apertum erat inter Protestantes schisma, quum iam eidem medelam afferre conarentur permulti Sec. XVI. quorum tamen ex zelo dogmatico nati proptereaque frustra tentati labores ad inimicitiam augendam magis, quam ad pacem restituendam faciebant; quamobrem re vera ad controversiam ipsam promovendam conferebant. Consensus Sendomiriensis a. 1570. sancitus non ita comparatus erat, ut reliquis etiam, praesertim ex Lutheranis placere potuisset. Inter Palatinos Sec. XVII. Davides Pareus hunc saxum volvit his potissimum rationibus, quod dissensus non pertineat ad fundamenta fidei: quod controversia de coena sacra non ad integram doctrinam spectet, sed ad partem tantum saluti parandae non necessariam, denique quod eiusmodi pax Marpurgi, Vitembergae et Sendomiriae iam tentata fuerit. Tunc ma-

xime, an fundamentalis dissensus inter utramque Ecclesiam intercedat, quaeri coepit. Praeterea Io. Duraeus id omni studio egit, ut Reformatos cum Lutheranis reconciliaret, sed magnam sibi adversariorum multitudinem excitavit.

Consensus in fide et religione christiana inter Ecclesias evangelicas maioris et minoris Poloniae, magnique ducatus Lithuaniae et ceterarum eius regni provinciarum, primo Sendomiriae a. 1570. in Synodo generali sancitus et deinceps in aliis, ac demum Wlodislaviensi generali Synodo a. 1583. confirmatus. Prodiit primum a. 1586. lat. et polon. deinde Thoruni 1592. cum actis et conclusionibus Synodi gener. Thoruniensis. Heidelbergae 1605. ac legitur in Corp. et Synt. I. p. 215 sqq. Vid. Dan. Ern. Iablonsky historia consensus Sendomiriensis inter evangelicos regni Poloniae et magniducatus Lithuaniae in Synodo gener. evangelicor. utriusque partis Sendomiriae a. 1570. die 14. Aprilis initi. Berol. 1731. 4. I. G. Walch Einleit. in die Religionsstr. III. p. 1044. — Dav. Parei Irenicum s. de unione et Synodo evangelicorum concilianda liber votivus paci Ecclesiae et desideriis pacificorum dicatus. Heidelb. 1615. 4. Nic. Hunnii Diascepsis theologica de fundamentali dissensu doctrinae evangelico - Lutheranae et Calvinianae. Vitemb. 1626. Io. Laur. a Mosheim Comment. de Io. Duraeo pacificatore celeberr. Helmst. 1744. 4. cfr. Walch Bibl. theol. sel. II. p. 492 sqq.

§. 85.

Colloquium Lipsiense a. 1631. a theologis Brandenburgicis et Casselanis cum Saxonicis institutum in articulis maxime controversis nihil efficiebat ad pacem restituendam. Colloquium charitativum Thorunense ad ineundam cum catholica, refor-

mata et lutherana Ecclesia concordiam a. 1645. habitum felici eventu carebat. Colloquium Casselanum a. 1661. institutum inter theologos Marpurgenses et Rintelenses eum in finem, ut si non consensio mutua, tamen fraterna tolerantia sanciretur, secutae sunt ingentes lites: dissensus magis auctus, motum iterum de Syncretismo funestum bellum est.

Colloquium inter Theologos Germanos tam August. Conf. quam Reformatos Lipsiae habitum ap. Timann. Gesselium in Hist. rer. memorab. Trai. 1661. 4. T. II. p. 597. Colloquium Lipsiacum a. 1631. da die anwesenden Reformirten und Lutherische Theologi eine Liquidation angestellet, wie weit sie einig und nicht einig seyen. In den Drey Confessiones, welche in den churf. Brandenburg. die Religion betr. edictis zu beobachten befohlen worden. Walch Einleit. l. c. p. 1048. — Acta conventus Thoruniensis celebr. a. 1645. etc. — (a Catholicis edita) Varsov. 1646. 4. Thornische Declaration, welche a. 1645. nicht allein von den Brandenburg. Reformirten, sondern auch von allen aus der Cron Polen, Grosfürstenthum Lithauen und incorporirten Provincien Deputirten Proceribus et Theologis ist unterschrieben worden. In den Drey Confessiones l. c. Ge. Calixti Scripta facientia ad colloquium Thoruniense cum consideratione et epicrisi. Helmst. 1645. - Calovii Hist. syncretistica, l. III. c. 3. p. 219 sqq. cfr. Hartknoch preuss. Kirchenhist. l. IV. c. 6. p. 934. — Brevis relatio colloquii, auctoritate Guilelmi, Hassiae Landgravii, inter theologos quosdam Marpurgenses et Rintelenses habiti, una cum concluso eorundem theologorum. Casselis. 1641. 4. I. G. Walch Bibl. theol. sel. II. p. 489 sqq.

§. 86.

Reformata Gallorum Ecclesia, temperatam Calvini doctrinam defendens, eodem seculo paci conciliandae omnem operam dedit, primum iam a. 1631. Synodo Carentonensi, deinde scriptis sat multis, quibus animum pacis cupidum ostendebat. Hos inter theologos Moyses Amyraldus et Petrus Iurieus maxime eminent, quibus accedunt Io. Henr. Hottinger, Io. Henr. Heidegger, Bened. Pictetus. Nec deerant inter Lutheranos, qui eadem summopere conarentur, quem in censum praesertim veniunt Ge. Calixtus et Fridericus Vlricus filius, ac postea Io. Fabricius. Ineunte Sec. XVIII. Fridericus I. Rex Borussiae multam hac in re promovenda operam posuit et inter utramque partem colloquium Berolini instituit. Ex Lutheranis Io. Matth. Pfaffius princeps auctor suasorque pacis, ex Reformatis Alph. Turretinus fuit. Ac saepius eadem res denuo agitata est, postremo nostris temporibus, ubi, si unquam, expediri posse videtur multis.

Thom. Ittig. de Synodi Carentonensis a Reformatis in Gallia Ecclesiis a. 1631. celebr. indulgentia erga Lutheranos. Lips. 1705. 4. M. Amyraldi Irenicum s. de ratione pacis in religionis negotio inter evangelicos constituendae consilium. Salmur. 1662. 8. P. Jurieu Jugement sur les methodes rigides et relaxées d'expliquer la providence et la grace, pour trouver un moyen de reconciliation entre les protestans. Roterd. 1686. 12. Id. de pace inter Protest. ineunda consult. etc. Vtr. 1688. 8. Io. Henr. Heidegger diss. posterior

de conc. protest. ecclesiast. T. III. Diss. select., p. 477. Dallaei Apologia pro Ecclesiis reform. c. 7. p. 34. Ben. Picteti de Consensu et Dissensu inter Reform. et Aug. Conf. fratres. Amst. 1697. c. 7. — Ge. Calixti Consultatio de tolerantia Reformatorum. ed. Fr. Vlr. Calixtus. 1658. 4. Fr. Vlr. Calixti via ad pacem inter Protest. praeliminaliter restaurandam, cum epicrisi. Helmst. 1700. 4. Io. Fabricii Consideratio controversiarum quae evangel. inter et rom. cathol. Reformatosque agituntur. ed. 2. Stend. 1715. 4. — Io. Alph. Turretini de pace Protestantium ecclesiastica l. Gen. 1707. 4. quo continentur: 1) epistola pastorum et professorum Genev. ad Frid. I. Boruss. reg. 2) regis responsio; 3) comitis a Metternich literae ad past. et prof. Genev. quum regis resp. transmitteret; 4) Turretini oratio de componend. prot. dissid. Cui libro deinde opposita est Aufrichtige und bescheidentliche Prüfung des den 22. April 1707. an Ihro königl. Majestät in Preußen abgelassenen Schreibens der Hrn. Prof. zu Geneve, durch einen unpartheyischen Lutheraner. 1708. Kappens Sammlung einiger vertrauten Briefe, welche zwischen dem Freyherrn Gottfr. v. Leibnitz und dem Berlinischen Hofprediger Dan. Ern. Jablonsky, auch andern Gelehrten über die Vereinigung der luth. und ref. Religion gewechselt worden sind, aus ihren Handschriften mit einigen Anmerkungen ans Licht gestellet. Leipzig 1745. 8. Köcher Bibl. irenica ad calc. ei. Abbildung einer Friedenstheologie p. 278. Christoph Matth. Pfaffens gesammelte Schriften, so zur Vereinigung der protestirenden Kirchen abzielen. Halle 1723. 2 Voll. I. G. Walch Einleitung in die Religionsstr. I. p. 523. III. p. 1080 sqq. Bibl. theol. sel. II. p. 513 sqq. — H. S. von Alpen patriot. Aufruf zur allgemeinen Vereinigung der Religionen etc. dem Friedenscongreſs gewidmet. Frankf. 1801. 8. Ist denn kein Verein der christlichen Religionspartheyen möglich etc. von I. A. D. Range. Glogau 1802. 8. Rathschläge eines Weltbürgers zu einer zweckmäſsigen und dauerhaften Vereinigung beyder protestantischen Kirchen mit einem Vorwort von D. Hufnagel. Frankf. 1803. 8. Gedanken über einen Kirchen-Verein beyder protestantischen Religionspartheyen von I. N. Fr. Brauer. Carlsr. 1803. 8. D. Gottl. Schlegel über den Nutzen der Annäherung und Aehnlichmachung der mehreren christlichen Religionspartheyen. Leipz. 1803. 8. I. N. Schember über Vereinigung der beyden

protestantischen Confessionen in den Badischen Gesammt-Landen. Mannh. 1803. 8. G. I. Plank über die Trennung und Wiedervereinigung der getrennten christlichen Hauptpartheyen. Tüb. 1803. 8. Fr. Sam. Gottfr. Sack über die Vereinigung der beiden protestantischen Kirchenpartheyen in der preufsischen Monarchie; nebst einem Gutachten über die Beförderung der Religiosität. Berlin 1812. 8.

DOCTRINA

SOCINIANORVM

ET

THEOLOGIAE ORTHODOXAE.

DOCTRINA SOCINIANORVM ET ORTHODOXAE THEOLOGIAE.

CAP. I.

DE ORIGINE ET FATIS SOCINIANISMI.

§. 87.

Doctrinae, quam Sociniani sec. XVI. profitebantur de Trinitate, origo et ratio ex veterum haereticorum sententiis repetenda est, quemadmodum ipsi Sociniani fatentur. Illorum enim opiniones quum catholicae ecclesiae vigilantia ac severitate ante oppressae essent, post restituta per Lutherum sacra et libertatem de rebus christianis sentiendi restauratam subito eoque liberius pullularunt. Hunc in numerum referendae Ludovici Hetzeri, Iohannis Campani, Michaelis Serveti sententiae sunt, quibus excitatum non solum Lutheranorum ac Reformatorum commune erga omnes divinita-

tis Christi verae hostes odium, sed contraria etiam declarata est symbolis Lutheranorum orthodoxa et catholicae congrua doctrina. Nam ex hoc primario theologiae christianae capite diversa ratione tractato prorsus diversam profluere debere omnem de religione christiana doctrinam, facile tunc perspiciebatur.

„Photinum certum est, ipsissimam nostram sententiam et sermone et scriptis acriter defendisse, idque, postquam incepit, perpetuo, dum vixit." Fausti Socini Disp. de Iesu Christi filii Dei natura, sive essentia advers. Andr. Volanum Opp. II. p. 417. „Quod ad Paulum Samosatenum attinet, eum quidem nobiscum sensisse arbitramur in eo, quod Dei filium, antequam in Mariae virginis utero conciperetur, revera constitisse negaverit atque adeo eius de Christi persona sententiam universam parum a nostra abfuisse credimus, non tamen eum pro sancto veneramur etc." Faust. Soc. l. c. p. 420 cfr. Sandii Bibl. Antitrinitarior. p. 204.

De Hetzero v. Sandii Nucleus hist. eccles. l. III. p. 424. qui manifestissimum eum et certissimum Arianum appellat. Ei. Bibl. Antitr. p. 16. Du Pin Biblioth. des auteurs separez de la commune de l'égl. rom. I. 1. p. 339. Ioh. Conr. Fueslin Beiträge zur Kirchen-Reform.-Gesch. d. Schweizerl. III. praef. p. 6. V. p. 390 sqq.

De Campano v. Sandii Bibl. Antitrin. p. 17. Bock Hist. Antitrinitariorum T. II. p. 225. Schelhorn Amoenit. liter. P. XI. p. 1 sqq.

De Trinitatis erroribus libri VII. per Mich. Servetum, alias Reves ab Arragonia Hispanum. 1531. 8. Dialogorum de Trinitate libri duo etc. 1532. Christianismi restitutio, totius ecclesiae apostolicae ad sua limina vocatio, in integrum restituta, cognitione Dei, fidei Christi, iustificationis nostrae etc. Restituto nobis denique regno coelesti, Babylonis impiae captivitate soluta et Antichristo cum suis penitus destructo. 1553. Cfr. Sandii Biblioth. Antitr. p. 11. Mosheim hist. Michaelis Serveti Helmst. 1727. p. 162 sqq. Ei. Zweiter Versuch einer vollständ. u. unparth. Ketzergesch. Helmst. 1748. 4. Eiusd. Neue Nachrichten von Mich.

Servet. Helmst. 1750. 4. Melanchthonis Epp. selectiores, ed. a Casp. Peucero. Viteb. 1565. 8. p. 96 sqq.

„Damnant et Samosatenos, veteres et neotericos, qui tantum unam personam esse contendant, de Verbo et Sp. S. astute et impie rhetoricantur, quod non sint personae distinctae, sed quod Verbum significet verbum vocale et Spiritus motum in rebus creatum.“ Aug. Conf. art. 1. p. 9. Quos autem Samosatenos neotericos dixerit Melanchthon, satis liquet. v. I. G. Walch de Samosatenianis neotericis, quorum mentio fit in Aug. Conf. Ien. 1730. 4. Form. Conc. Epit. p. 626. „De Serveto rogas, quid sentiam? ego vero video satis acutum ac vafrum esse in disputando, sed plane gravitatem ei non tribuo. — De Trinitate scis me semper veritum esse, ut haec aliquando erumperent. Bone Deus, quales tragoedias excitabit haec quaestio apud posteros, num Verbum sit hypostasis, num Spiritus sit hypostasis? etc.“ Phil. Melanchth. ep. ad Camerar. a. 1533. l. 4 ep. 140. Calvini Epist. et responsa. Genevae 1575. fol. p. 148. „Arbitror te nosse filium istum Satanae (Campanum) et adversarium Filii Dei, quem plus etiam, quam Arius ipse blasphemat. Quare te oro per Christum, ut apud Senatum et ubique potes, agas, ne tales furias non vocatas sic admittant, cum absque vocatione neque angelus sit audiendus.“ Luth. ep. ed. Schütz. II. p. 251. De doctrina trinitatis ita disseruit Lutherus: „Der Teufel sucht in der Welt das Herzeleid, daſs er nur Schulgezänke anhebt, immer neue Rotten aufbringt, damit das Evangelium zerrüttet werde. Darum rede ich nicht viel davon, ohne daſs man bleibe bey den Worten einfältig und lasse sich die Worte fangen. Wir habens im Glauben genugsam, da wir sagen: ich gläube an Gott Vater, Sohn und heiligen Geist. Nun soll man an Niemand gläuben, denn allein an Gott. Wenn du das fassest und weissest, so hast du Argument genug, daſs Christus muſs Gott seyn, sonst könnte man nicht an ihn gläuben. Wie aber drey Personen in der Gottheit unterschiedlich sind und doch ein Gott im Wesen ist, wirst du nicht begreifen. Könnte mans ermessen, so dörfte mans nicht glauben. Darum hüte sich jedermann für Fragen; wann er das Wort hat, so halte er sich daran und lasse sich nicht davon weisen. Luth. Predigt über das Evang. am Trinitatisfest, Joh. 3, 1—5. Seckendorf hist. Lutheranismi l. II. p. 60. Quid de Ariana haeresi senserit Lutherus, ex his ipsius verbis liquet: Vor der Welt Augen scheinet es wohl, als liegen die Christen unter: denn man tödtet sie und

würget sie dahin, wie das Schlacht-Viehe und die Gottlosen schweben oben, die Rotten und Secten behalten recht und triumphiren. Aber was ists? Es wäret nicht lang, so kehret sich alles um, da gehen denn die Gottlosen unter, die Lehre der Rottengeister wird vergessen. Da siehet man denn wohl, wie Christus den Seinen habe geholfen und wie sie Herren gewesen sind des Todes, der Sünde u. des Teufels, welches jezo gar nicht so scheinet. Also ging es zu Arii Zeiten, da waren kaum 3 Bischöfe in der ganzen Christenheit, die da recht predigten, da war die ganze Welt mit dieser Ketzerei verführt, auch der Kaiser selbst: da liefs sichs ansehen, als läge Christus unten und Arius läge oben, da dachte man, nun ists aus mit Christo und mit seinen Christen; das Evangelium ist dahin, es ist nun aus mit ihnen. Ja wohl aus. Es bliebe dennoch Christus und der Glaube. Wo sind jetzt dieselben Ketzer? Arius mit dem Kaiser ging unter, so dafs ihr Name nunmehro stinket vor der Welt und ihre Lehre nicht mehr gilt; sie sind darzu alle zum Teufel gefahren; Christus aber lebet noch und sein Reich stehet auch noch feste. Schrift vom Reiche Christi u. christl. Freyheit über Ierem. 23, 5—8. Altenb. T. III. p. 795. Seckendorf l. c. p. 89.

§. 88.

Ac priusquam Socini sectae suae nomen dedere, Vnitarii s. Antitrinitarii haud pauci in Polonia eum in errorem inciderant, quem postea longe lateque disseminatum videmus. Quod a Petro Gonesio, a. 1556. a Matth. Gribaldo, Valentino Gentili, Io. Paulo Alciato, Georgio Blandrata aliisque inde ab a. 1558. Pinczoviae factum esse constat; inde commune Pinczoviorum nomen. Qui quidem quamquam ad a. usque 1565. cum evangelicis, maxime reformatis, viuebant in communione ecclesiastica, tamen nihilo minus receptam in Ecclesia sententiam acerrime oppugnarunt Deique

filium esse Patri consubstantialem negarunt. Qua de re tamen nonnulli modestius, alii liberius docebant, ita, ut inter ipsos graviora dissidia orirentur. Et Georgius Blandrata, relicta a. 1563. Polonia in Transsylvaniam novos suos errores haud sine felici eventu intulit.

Andr. Wissowatii narratio compendiosa, quomodo in Polonia a Trinitariis reformatis separati sint christiani Vnitarii, in Sandii App. ad Nucl. Hist. eccles. p. 87 sq. 91. Stanisl. Lubieniecii Hist. Reform. Polonicae l. II. c. 6. l. III. c. 3. 5. Christ. Sandii Biblioth. Antitrinit. p. 52 sqq. p. 26. 17. 27. 40. Bock Hist. Antitrinitariorum T. II. p. 427 sqq. 456 sqq. 465 sqq. IV. p. 470 sqq. Pauli Debrezenii et Frid. Lampii Hist. eccles. reform. in Hungaria et Transsylv. l. II. p. 147 sqq. Salig volst. Hist. d. Augsb. Conf. Vol. II. l. VI. c. 7. p. 847 sqq.

§. 89.

Accedunt denique Laelius Socinus ac praesertim Faustus, illius ex fratre nepos, bonorumque et manuscriptorum haeres, qui Italia patria relicta novam sibi ex Vnitariis in Polonia familiam collegit, cui deinde Socinianorum nomen inditum est. Racovia condita inde ab a. 1569. huius sectae res et ecclesiae mirum in modum efflorue re. Gymnasium quoque ibidem a. 1602. institutum est et officina typographica eam in urbem Cracoviâ translata. Multa vero tristissimaque fata inde ab a. 1639. ac deinde praesertim a. 1658. subiere Sociniani, quo lege Varsoviae in comitiis lata regno toto excedere iubebantur. Quo factum est, ut persecutione magis incitati non solum cupidius suam doctrinam amplecterentur,

sed etiam extra Poloniam spargerent. Nam magno impetu et copia non solum per vicinas terras, Silesiam, Marchiam et Borussiam, sed etiam in Germaniam ceteram, in Belgium, Angliam, Hungariam et Transsylvaniam sese effuderunt, legatos et libros emiserunt ac coetus colligere nisi sunt. Tamen interitum effugere non poterant; relictis nonnullis in Transsylvania, eorum opiniones abiecto auctoris invidioso nomine alia ratione denuoque obtinuere.

Sandii Bibl. Antitr. p. 18. 64. Equitis Polon. Vindiciae pro Vnitarior. in Polon. relig. libert. in Sandii Bibl. Antitr. p. 267 sqq. Bock l. c. p. 568 sqq. Salig l. c. P. II. l. VI. c. 4. p. 698. Lubieniecii l. c. l. II. c. 1. p. 40. l. III. c. 17 sqq. Sam. Przipcovii vita Fausti Socini, praemissa Opp. in Bibl. Fratr. Poll. I. p. 1 sqq. Gust. Georg Zeltner Hist. Cryptosocinianismi, Altorfinae quondam academiae infesti, arcana Lips. 1729. 4. — Bock Hist. Socinianismi Prussici. Regiom. 1754. 4. Hartknoch preufs. K. Hist. l. III. c. 9. Memorabilia Vnitariorum, qui vulgo Sociniani appellantur, acta in Prussia, exhib. Regiom. 1756. Arnold Kirchen- u. Ketz.-Hist. P. II. l. 17. c. 13 sqq. Struve pfälz. Kirchenhist. c. 5. p. 214 sqq. Benthem Holländ. K. u. Schulstaat. P. I. p. 895 sqq. Petri Bod de Fessö - Tsernaton Historia Vnitariorum in Transsylvania, inde a prima illorum origine ad recentiora usque tempora ex monumentis authenticis continuata. Lugd. Bat. 1776. 8. Cfr. Walch neueste Religionsgesch. VII. p. 468 sqq. Von dem Zustande der Socinianer in dem Grosfürstenth. Siebenbürgen ib. V. p. 191 sqq. Jetziger Zustand der Vnitarier in Siebenbürgen in Henke Religionsannalen III. p. 283 sqq. Plank neueste Religionsgesch. I. p. 455 sqq. Wendeborn Beschreibung des Zustandes von dem Staat, der Religion u. der Wissensch. in Grosbrit. III. p. 271 sqq. Stäudlin kirchl. Geogr. u. Statistik. II. p. 389 sqq.

CAP. 2.

DE FONTIBUS ET AB UTRAQUE PARTE SCRIPTIS.

§. 90.

Nulla praeter vetus illud symbolum apostolicum apud Socinianos exstat fidei confessio, quae symboli haberet formam expressam et consilium, quandoquidem eo conscientiae libertatem infringi putant. Hinc magna diversissimorum inter se librorum copia et doctrinae unius atque communis Socinianorum exponendae eximia difficultas. Attamen scripta, quae publicam doctrinam complectuntur, nec desunt, nec a symbolica ratione auctoritateque distant. Quorum in numerum veniunt primum Catechismi nonnulli, quorum singuli bene inter se distinguendi sunt. Primarium autem locum obtinet Racoviensis.

„Atque hic cum Hilario nos quoque beatos dicimus eos, qui in necessariis ad salutem, saltem quoad credenda, inter limites simplicissimi symboli, quod Apostolicum vocatur, se continent." Praef. catech. Racov. A. 1574. conficiebatur Catechesis et confessio fidei coetus per Poloniam congregati in nomine Domini Iesu Christi, Domini nostri crucifixi et resuscitati (Cracoviae). 12. quem a Georgio Schomanno conscriptum in testamento ipse testatur. v. Bock Hist. Antitr. T. I. P. II. p. 826. et Moshemii Institutt. hist. eccles. p. 316. nota. Io. Adam Müller de Vnitariorum Catechesi et Confessione omnium prima in Bartholomaei fortges. nützl. Anmerk. T. XXI. p. 758. Quae quum postea non satis accommodata explicitae magis Fausti Socini doctrinae videretur (quamquam quae fuerit tenuis et exilis ante Socinum utrumque doctrina Vnitariorum inde maxime cognosci potest), conscriptus deinde Catechismus est, Racoviae primum literarum formis expressus a. 1605. polonice ac germanice et minor appellatus, Der kleine Catech. zur Vebung der Kinder in dem christl. Gottesdienst, la-

tina editio inscripta est: Brevis institutio religionis christianae. 1629. 12. Et quum Faustus Socinus a. 1604. moribundus relinqueret catechismum imperfetum et inscriptum: christianae religionis brevissima institutio per interrogationes et responsiones, quam Catechismum vulgo vocant, qui deinde prodiit Racoviae 1618. 8. v. Opp. T. I. p. 651. hoc Socini scriptum cum Catechesi illa priori a. 1574. fundamentum praebuit Catechismi Racoviensis maioris, a Valent. Schmalzio, et Hieron. Moscorovio adornati ac primum polonice editi Racoviae 1605. 12. quae editio rara admodum est. Germanicam versionem a. 1608. Academiae Vitebergensi dedicavit Schmalzius, latinam sed multis robus auctam et mutatam, Iacobo I. regi Britanniae dicatam perfecit Moscorovius, inscriptam: Catechesis Ecclesiarum, quae in Regno Poloniae, magno ducatu Lithuaniae et aliis ad istud regnum pertinentibus provinciis affirmant, neminem alium praeter patrem Domini nostri I. C. esse illum verum Deum Israelis, hominem autem illum Iesum Nazarenum, qui ex virgine natus est, nec alium praeter aut ante ipsum Dei filium unigenitum et agnoscunt et confitentur. Racov. 1609. 12. Eadem editio saepius repetita est et multo magis aucta a Crellio, Iona Schlichtingio, Martino Ruaro, Ioach. Stegmanno et Andr. Wissowatio, v. c. 1659. Irenopoli 8. ac postremo Stauropoli 1684. 8. quae in praef. haec habet verba: ex hac, quam modo publicis iuris facimus, de nostro in religione sensu iudicari volumus. Germanica etiam editio prodiit a. 1612. Praeter has ab ipsis Socinianis publicae luci expositas editiones una exstat ab Oedero adornata, subiuncta acerbiori confutatione orthodoxa, cui titulus: Catechesis Racoviensis seu liber Socinianorum primarius, ad fidem editionis a. 1609. recensuit, Socinianorum vero impietatem et hoc libro traditam et a recentioribus assutam accurate profligavit Ge. Lud. Oederus, Antistes Feuchtwangensis et eius dioeceseos decanus. Francof. et Lips. 1739. 8. Cfr. Sand. l. c. p. 78. Bock l. c. I. P. 1. p. 511 sqq. P. 2. p. 836 sqq. I. G. Walch Bibl. theol. sel. I p. 539 sqq. Kocher Bibl. theol. symb. p. 656 sqq. Io. Andr. Schmid de Catechesi Racoviensi Progr. Helmst. 1707. 4.

§. 91.

Tristia huius familiae fata postea effecerunt, ut saepius publice doctrinae suae rationem redderet summamque proponeret. Et haec scripta haud raro confessionis formam prae se ferunt. Praeterea vero ad cognoscendam huius sectae indolem et placita maxime faciunt Socinianorum scripta omnia de religione christiana, quorum tam incredibilis multitudo est, quam huius societatis theologorum. Sed satis habebimus, cum nominibus auctorum potiora scripta enumerare.

Symbolicam fere autoritatem nacta est Confessio fidei christianae, edita nomine Ecclesiarum, quae in Polonia unum Deum et Filium eius unigenitum I. C. et Sp. S. corde sancto profitentur, per divinae veritatis confessorem. A. 1642. 4. (auct. Iona Schlichtingio). Huius brevioris libelli editiones omnes rarae, quandoquidem combustae; exstat autem et gallico sermone et germanico. V. Kocher Bibl. theol. symb. p. 904 sqq. Apologia huius confessionis a Cichovio refutatae ac deinde combustae inscripta est: Confessionis christianae ad rogum damnatae et combustae manium a rev. D. Nicolao Cichovio lacessitorum sui vindices. 1652. Et ea quoque Schlichtingio adscribitur. Illius confessionis compendium est, quod post haec tempora exules Poloni Electori Brandenburg. tradiderunt. Vid. Bock l. c. I. P. 2 p. 790. Walch Neueste Relig. Gesch. VII. p. 354. — Pertinet huc porro Bibliotheca Fratrum Polonorum, cuius duo priora volumina Opera Fausti Socini complectuntur. Irenopoli 1656. fol. Io. Volkelii de vera religione libri V. praef. est Io. Crellii Franci liber de Deo et eius attributis etc. Racov. 1630. 4. (Sam. Maresii Hydra Socinianismi expugnata. Groning 1651 — 1663. 3 Voll. 4.). Bock l. c. I. 2. p. 992 sqq. Io. Crellii Opp. in Bibl. Fr. Poll. III. IV. ib. eius vita, in Bock Hist. Ant. I. 1. p. 116. Christoph Osterod von Goslar Unterrichtung von den vornehmsten Hauptpuncten der christl. Religion, in welcher begriffen ist fast die ganze Confession oder Bekenntnifs der Gemeinen im Königr.

Polen, Grosfürstenth. Littawen und anderen zu der Cron Polen gehörenden Landschaften, welche, weil sie bekennen, das allein der Vater unsers Herrn I. C. der einige Gott, Iesus Christus aber von Nazareth, welcher von der Iungfrawen Maria geboren ist, und kein anderer vor oder außer ihm sein eingeborner Sohn sey, verächtlicher Weise, wiewohl mit höchster Vnbilligkeit, Arrianer und Ebioniten genennet werden. Gedrukt zu Racow 1604. 8. Bock l. c. I. 2. p. 558. Val. Schmalz Catech. Racov. — de Divinitate I. C. Rac. 1608. 4. Ion. Schlichtingii Opp. in Bibl. Fr. Poll. Bock I. 2. p. 763. Stanislai Lubieniecii ep. de vita et morte I. Schlichtingii in ei. Opp. Io. Lud. Wolzogenii Opp. in Bibl. Fr. Poll. VI. Bock l. c. p. 1030. Andr. Wissowatii Opp. v. ap. Bock l. c. p. 1010. Anonymi ep. exh. vitae ac mortis Andr. Wissowatii nec non ecclesiar. Vnitarior. eius tempore brevem historiam in Sandii Bibl. Antitr. p. 219 sqq. Mart. Ruari Opp. in Bock l. c. p. 713. Sand. l. c. p. 114. eius epist. in Zeltner Hist. Socinianismi Altorfini arcan. p. 1244. Petri Moscorovii scripta, praesertim: Politia ecclesiastica, quam vulgo agendam vocant, sive forma regiminis exterioris Ecclesiarum christianarum in Polonia, quae unum Deum Patrem per Filium eius unigenitum I. C. in Sp. S. confitentur, tribus libris explicata, e cod. mscto recensuit et notas atque dissertat. prelim. adiecit Ge. Lud. Oeder, Francof. et Lips. 1745. 4. v. Bock l. c. I. 1. p. 502 sqq. — Przipcovii Opp. in Bibl. Fr. Poll. VII. Sandius l. c. p. 123 sqq. Bock l. c. I. 2. p. 667 sqq. Stanisl. Lubieniecii Opp. ap. Bock l. c. I. 1. p. 442 sqq. Christoph. Sandii iun. Opp. ap. Bock l. c. I. 2. p. 744 sqq. Sam. Crellii Opp. v. Bock I. 1. p. 161 sqq. Ei. cogitationum novarum de primo et secundo Adam sive de ratione salutis per illum amissae, per hunc recuperatae compendium. Amstel. 1700. 8. Initium Evangelii S. Iohannis Apostoli ex antiquitate ecclesiast. restitutum indidemque nova ratione illustratum per Artemonium 1726. 8. Cfr. Mosheim Dissertat. ad sanctiores discipl. pertinent. Syntagma. p. 333 sqq. (Georg. Marcos) Summa universae theologiae christianae secundum Vnitarios, in usum auditorum theologiae concinnata et edita. Claudiopoli. 1787. 8.

§. 92.

Denique ex scriptis contrariae partis tum orthodoxa theologia, tum Socinianorum doctrina, quamquam haec quidem parum accurate explicita cognosci potest. Praeter confessiones publicas magna et ampla librorum series haeresi Socinianorum opposita est. Romanae ecclesiae theologi et Lutherani Reformatique parem eamque maximam in refutandis Socinianis operam studiumque posuere.

Ex horum longo numero nominandus prae ceteris inter Catholicos est Iacobus Vvieckus, Mart. Smiglecius, Cichovius, cuius Credo Arianorum Cracoviae prodiit 1649. 4. V. Walch Einl. in die Rel. Str. IX. p. 643 sqq. Inter Reformatos eminent Ludov. Lucius, Ioh. Hoornbeck, Nicol. Arnoldus, Sam. Maresius, Franc. Turrettinus, Petr. Iurieus, Petr. Alixius, Eduard. Stillingfleet, Dan. Whitby, Theod. le Blanc, Io. Cloppenburg, Hugo Grotius. Defensio fidei catholicae de satisfactione Christi adversae F. Socinum. Lugd. Bat. 1617. 8. Lond. 1661. 12. Salmur. 1675. 12. Ei. Epistolae Amst. 1687. p. 103. Iam primam Vnitariorum ante Socinum confessionem Cracovianam impugnavit Zach. Vrsinus in Refutatione catechismi anabaptistici et samosatenici Cracoviae editi in ei. Tractatt. theol. Vol. II. p. 592. Iac. ad Portum Defensio orthodoxae fidei adversus Osterodi Institutt. Genevae 1613. 4. Ex Lutheranis nominandus est Balduinus, cuius huc pertinet liber: Ausführl. und gründl. Widerlegung des deutschen arian. Catechismi, welcher zu Racau in Pohlen a. 1608. gedrukt und der uralten allgem. apostol. Bekänntniss der christl. Kirchen von Iesu Christi Person u. Ammt entgegengesetzt ist. Aus einiger, heiliger, göttlicher Schrift genommen u. zu Rettung der Ehre Iesu Christi und unsers christlichen Bekänntnisses von ihm, gestellet und in Druck verfertiget durch die theol. Facultät zu Wittenberg 1619. 8. — in lat. serm. translata per Frid. Balduinum. Viteb. 1620. 8. Ioach. Langii Gloriae Christi ac Christianismi Tomus post. qui — Catechesin Racoviensem — commentario elenctico exarmat. Amst. et Lips. 1740. Fol. Brevis consideratio Theologiae

Photinianae, prout eam F. Socinus descripsit in libro suasorio, cui titulus: quod Evangelici omnino deberent se illorum coetui adiungere, qui false Ariani atque Ebionitae vocantur. Conscripta per Balth. Meisnerum. Th. D. Witteb 1619. 8. 1623. 8. Ioh. Stegmanni Photinianismi h. e. succincta refutatio errorum photinianorum, 56 disputationibus comprehensa. Rint. 1623. 8. Iust. Fewerbornii Anti-Osterodus seu refutatio Institut. theol. quibus O. religionem Photinianorum blasphemam professus nostram christianam fidem multis modis oppugnavit. Marb. 1628. 4. Albr. Calovii scripta Antisociniana, in unum corpus redacta. Vol. 3. Vlmae. 1684. 4. Io. Ad. Scherzer Collegium Anti-Socinianum. Lips. 1672. 4. Io. Musaei Collegium controversiarum — Socinianis oppositum. Op. posth. Ien. 1701. 4. Iusti Christoph. Schomeri Collegium Anti-Socinianum etc. collatis optimis msctis publicae luci exposuit Henr. Ascan. Engelcke. ed. nov. Rostoch 1725. 4.

Ad cognoscendam denique Socinianismi et historiam et ingenium faciunt nostrorum hominum doctissimorum scripta, quorum, ut praetereamus I. D. Hartmanni Beiträge zur christl. Kirchen- u. Religionsgesch. 1 Bd. Iena 1796. quo libro exhibetur etiam „Geschichte und Lehrbegriff der Socinianer," perutilia haec sunt: Ziegler kurze Darstellung des eigenthüml. Lehrbegriffs des F. Socinus in Henkii N. Magaz. für Religionsphilos., Exeg. und Kirchengesch. IV. fasc. 2. Helmst. 1800. I. F. Flatt Bemerkungen über Socins Philosophie und Theologie, nach ihrem Verhältniss zur pract. Vernunft, betrachtet in Ei. Beitr. zur christl. Dogmatik und Moral. Tub. 1792. III. p. 117—152. Bengel Ideen zur historisch-analyt. Erklärung des Socinischen Lehrbegriffs in Süskind Magaz. für christl. Dogmatik u. Moral etc. XIV. XV. XVI.

CAP. 3.

DE PRINCIPIIS THEOLOGICIS.

§. 93.

Nulla inter Socinianos et Orthodoxos obtinet de canone, de auctoritate, de divina origine S. S. controversia, nisi quod V. T.

quamquam utile, tamen non necessarium christianis dicit Socinus, et quod de inspiratione paullo liberius docent Sociniani. Nec his sacris libris omnem de religione atque salute hominis contineri doctrinam negant: imo praeter revelationem nullam esse religionem praedicant. De usu tamen et interpretatione S. S. quamvis eadem fere, quae Theologia orthodoxa, docere videantur, tamen re vera longius recedunt ab illa, si usum ipsum et interpretationem spectes. Nam ut paucis res expediatur, Sociniani ratione sana i. e. iudicio humano ac ratiocinando, non solum instrumento, sed etiam norma interpretationis utendum indeque sensum metiendum; Orthodoxi contra, iudicium humanum ad intelligenda divina non sufficere, sed theologicam accedere debere interpretationem i. e. Dei, qui, auctor est literarum sacrarum, conscientia directam arbitrantur.

Catech. Racov. quaest. 1. 2. 3. 4. „Non est, cur dubitetur de auctoritate eius libri, qui appellatur vetus Testamentum, cum is a novo manifeste confirmetur. Nulla siquidem scripta hoc loco ad eum pertinere agnoscimus, praeter ea, quae Christi et Apostolorum eius tempore iam ut sana in iudaico populo recepta fuerunt atque eiusmodi, quibus prorsus fides adhibenda esset. Haec sunt illa omnia, quae hodie quoque Iudaei ut talia approbant et agnoscunt, quae denique ipsorum bibliis continentur et universo apud christianos sine controversia plenam auctoritatem continent.“ Soc. de auct. S. S. in Opp. I. p. 270. „Postremo considerandum est (disputet contra quivis), si recipiatur novum Testamentum, non posse ad ipsam religionis summam quidquam fere momenti habere quamcunque v. T. depravationem, cum nihil non levis momenti potuerit esse in v. T. quod novo

non contineatur, nec quicquam illius recipiendum sit, quod non conveniat cum iis, quae in hoc sunt scripta. Adeo ut utilis quidem plures ob causas sit lectio v. T. iis, qui novum recipiunt i. e. hominibus christianae religionis, sed non tamen necessaria." l. c. p. 271. — Catech. Rac. c. 1. de certitudine S. S. c. 2. „In his scriptis omnibus nulla repugnantia, nulla falsitas revera apparet, quod accurata discussione locorum omnium, qui tale quid prae se ferunt, demonstrare non difficile esset." Quaest. 13. p. 22. Socinus autem ipse haec docet: „Repugnantiae porro aut diversitates, seu verae, seu quae videri tantum possint, quae in rebus sunt parvi momenti, eae sunt, quae pertinent ad historiam." De auct. S. S. l. c. p. 267. „Nam aut, quae docent, ad res quasdam spectent, quae omnino fieri credere debeant: et haec vero doctrinae pars est nec ullo modo fieri potest, ut, si isti tales sunt, quales in historia sunt descripti, his errare potuerint: aut ea, quae docent, ad explanationem pertinent aliquorum Iesu verborum ad res faciendas vel credendas minime spectantium, qualia istic fere sunt vel ad interpretationem aliquorum locorum v. T. et ad explicationem argumentorum inde ductorum, aliave ratione ab ipsis in medium allatorum: et haec minus doctrinae pars est, sed potius vel ad additamentum, ut sic dixerim, vel probatio doctrinae, quodque huc attinet, fieri possit, ut verissima ea omnia essent, quae de ipsis historia affirmat et tamen ipsi nonnunquam hac in parte leviter errassent etc. l. c. p. 278. Cfr. Volkel de vera relig. l. 5. p. 375. — „Sed dicat fortasse quispiam, libris v. et n. T. eam fidem adiungendam esse, quae communiter aliis libris adiungitur, non tamen maiorem, quam ceteris omnibus, atque eiusmodi, ut dubitare non liceat de re ulla in iis scripta, qualem illis adiungi debere communiter affirmant, quicunque christianam religionem profitentur. Ad hoc sic primum respondeo: utinam tanta fides adhiberetur libris v. et n. T. praesertim vero novi, quanto communiter aliis libris adhibetur: hoc enim satis foret, quo homines in veros christianos evaderent, hoc est, secundum ipsius n. T. praecepta viverent etc." c. 4. p. 276. — „Affram caussam gravissimam, quae fidem illis scriptis conciliet necessario. Quaenam ea est? Religionis christianae veritas etc." Cat. Rac. qu. 18. At quanam re fidem facies mihi, religionem christianam esse veram? Ipso religionis christianae auctore, qui fuit homo divinus ac ipsa religione, quae etiam divina

est.“ Qu. 19. — „Nam cum religio res naturalis nequaquam sit (alioqui non invenirentur nationes omni prorsus religione carentes, quales nostra aetate quibusdam in locis inventae sunt, ac nominatim in regione Bresilia, quemadmodum testantur scriptores digni quibus habeatur fides, mihique constanter affirmavit Pistoriensis quidam monachus Franciscanus concionator ex iis, quos Capuccinos vulgus vocant, homo honesto loco natus, prudens admodum et cordatus, qui in ea regione fuerat), cum, inquam, religio nequaquam res naturalis sit, sed, si vera est, patefacta sit quaedam divina etc.“ F. Soc. de auct. S. p. 273. „Quandoquidem monumenta habemus scripta, quae nobis Deus mirabili et benignissimo consilio dedit et conservavit, divinorum virorum, qui vel ab ipso Spiritu divino impulsi eoque dictante vel Sp. S. pleni illa literis commiserunt, hi sunt libri, quos Biblia S. vetus et novum testamentum vulgo appellamus.“ F. Soc. lectiones sacrae. Opp. I. p. 287. „So kann denn nun der Mensch von Gott u. seinem Willen nichts nicht wissen, nur was ihm Gott selber offenbaret, *nämlich äufserlicher Weise.* Welche Offenbarung, wenn sie vorhanden ist, so kann der Mensch nicht allein die göttlichen Sachen verstehen u. begreiffen, sondern er wird auch darumb gestraft werden, wo er sie nicht begreift, wie an dem Ort Pauli Röm. 1, 19. 20. bezeuget wird: welches denn nicht geschehen könt, sintemal Gott gerecht ist, wo es nicht in der Menschen Macht wäre, göttliche Sachen, wenn sie ihm äufserlicher Weise von Gott geoffenbaret werden, zu verstehen u. zu begreiffen.“ Osterod Vnterrichtung p. 12. — Animadvertenda vero est repugnantia, in his F. Socini dictis latens: „Iam vero, quum hic pro concesso ponamus, religionem christianam veram esse, necesse est, si quis velit aliquid ad doctrinam pertinens in scriptis istis ostendere esse falsum, idque non ex repugnantia ulla, quae in eisdem scriptis inveniatur, necesse est, inquam, ut vel ratione, vel aliis divinis testimoniis id probet. Ratione vix ullo modo fieri id potest, cum christiana religio non humanae rationi ullo pacto innitatur, sed tota ex voluntate Dei pendeat, et ex ipsius patefactione. Quod vero attinet ad divina alia testimonia, quae scilicet vera sint, et cum ipsa religione christiana consentiunt, alia nulla videntur afferri posse, quam ea, quae libris v. T. continentur etc.“ Lect. sacrae in Opp. I. p. 290. Quocum loco conferendi hi: „Ex iis, quae hactenus

dicta sunt, tandem apparet, nullo modo potuisse Christum pro peccatis nostris divinae justitiae satisfacere, non modo, quia rei ipsius natura id nulla prorsus ratione fieri potest, ita, ut inter ea, quae plane impossibilia sunt, numerari debeat: verum etiam, quia, etiamsi id alioqui per se fieri aliquo pacto possit, ea tamen, quae ad id peragendum necessario requirerentur, eiusmodi sunt, ut ne in ipso quidem Christo reperiri potuerint, omnia licet in eo fuerint, quae esse potuerunt. — Quare nequeo satis mirari, quod iis in mentem venerit, qui nobis primi istam satisfactionem fabricarunt, cum ea, quae fieri non posse aperte constat, divinis etiam oraculis, ea facta esse, in speciem diserte attestantibus, nequaquaquam admittantur (et idcirco sacra verba in alium sensum, quam ipsa sonant, per inusitatos etiam tropos quandoque explicentur), nedum tunc pro compertis et plane veris affirmentur atque aliis obtrudantur, cum ne verbum quidem in universis sacris literis de ipsis exstat. Nam si vel unus saltem locus inveniretur, in quo satisfactionis pro peccatis nostris Deo per Christum exhibitae mentio fieret, excusandi fortasse viderentur. Ego quidem, etiamsi non semel, sed saepe id in sacris monumentis scriptum exstaret, non idcirco tamen ita rem prorsus se habere crederem, ut vos opinamini. Cum enim id omnino fieri possit, non secus atque in multis aliis scripturae testimoniis una cum ceteris omnibus facio, aliqua, quae minus incommoda viderentur, interpretatione adhibita eum sensum ex eiusmodi verbis elicerem, qui et sibi ipsi constaret, et perpetuo eiusdem scripturae tenori non adversaretur." Disput. de Iesu Chr. serv. P. 3. in Opp, II. p. 204. „Credimus, etiamsi non semel atque iterum, sed satis crebro et apertissime scriptum exstaret, Deum esse hominem factum, multo satius esse, quia haec res sit absurda et sanae rationi plane contraria et in Deum blasphema, modum aliquem dicendi comminisci, quo ista de Deo dici possint, quam ista simpliciter, ut verba sonant, intelligere." Val. Schmalz homiliar. X. supra init. cap. 1. evang, d. Ioan. Racov. 1615. 4. p. 89. „Quid vero ad haec testimonia respondendum est? Antequam ad singula testimonia respondeam, sciendum est, eam ex essentia Patris generationem esse impossibilem etc." Cat. Rac. ed. Oed. qui non sine caussa addit: Hem! quam horribili ratione princeps tenebrarum praestringit nostrorum hominum oculos et mentem! Antequam ad scripturam legendam et meditandam

ditandam, accedunt, praemuniuntur, nefanda incredulitate et quam disci oportuisset e scriptura veritatem, in antecessnm damnarunt l. c. p. 154. Cfr. Bengel, qui hic omnino legendus, Ideen zur hist. analyt. Erklärung des Socin. Lehrbegr. in Süskind. Magaz. XV. p. 128. sqq.

§. 94.

Mysteria quidem inesse religioni concedunt, neque tamen eorum agnitionem necessariam religionis partem ducunt, sed in revelatione acquiescunt, quam expertem omnis mysterii esse volunt proptereaque revelationem dictam. Negant itaque, ipsa mysteria, quatenus revelata habeantur, superiora esse omni captu et ratione i. e. esse ulla in revelata religione vere mysteria, et ad hoc genus revelationem ipsam referant necesse est tanquam patefactionem mysteriorum. Supra rationem sunt Socinianis, quae nisi revelentur, ratio excogitare nequeat; contra rationem, quae in revelatione ipsa rationi non pervia inveniantur. Et talia esse in religione christiana negant. Ratione igitur omnia assequenda esse in revelatione et quae huius generis non sunt, non vere revelata arbitrantur. Rationem vel in iis, quae revelata sunt, superiori loco collocant, ex quo iudicari debeat, quid revelatum sit, nec ne. Admittunt mysteria revelata, quia capi mente possunt, negant alia esse vere revelata, quia ratiocinando deprehenditur, ea esse non posse, i. e. repugnare rectae rationi. Quae omnia nec sibi constantia prorsus repugnare orthodoxae doctrinae, per se liquet.

„Animadvertendum est, longe aliud esse, quidpiam mente non capere et capere mente, quidpiam esse non posse seu aliquid negare, quia id esse non posse deprehendas." F. Soc. Defensio animadvers. in assertt. theolog. coll. Posnaniens. de trino et uno Deo p. 50. „Mysteria divina non idcirco mysteria dicuntur, quod etiam revelata omnem nostrum intellectum captumque transcendunt, sed quod non nisi ex revelatione divina cognosci possunt." Ión. Schlichting Dissert. de SS. Trinit. adv. Balth. Meisnerum p. 70. „Fatemur, aliquos fidei articulos certo respectu supra rationem esse, sed non simpliciter, nec quatenus revelata sunt aut credi debent: quis enim alioquin et revelationi et fidei locus esset? Rationem, verbi caussa, superat, nosse exacte modum resurrectionis et glorificationis nostrae, nosse, quas vere voluptates et gaudia coelestis illa vita contineat: sed ea de re nec revelationum a Deo accepimus, nec Deus a nobis fidem exposcit." l. c. p. 123. „Denn viel ein ander Ding ists, das man etwas mit seinem Verstand nicht kann begreifen (denn wir bekennen gern, dafs ein Christenmensch viel Dinge schuldig ist zu glauben, die er mit seinem Verstande nicht begreifen kann), und ein ander Ding ist es, dafs der Verstand zeiget, weiset, zeuget und schreyet, dafs etwas auf keine Weise nicht seyn noch bestehen könne. Derhalben soll man wissen und es gänzlich dafür halten, dafs obwohl viel Dinge, so uns zu glauben von nöthen sind, in heil. Schrift gefunden werden, welche allen menschlichen Verstand übertreffen, so streiten sie doch nicht wider menschliche Vernunft und Verstand, das ist: unser Vernunft leret uns nicht öffentlich, hell und clar, dafs sie sollen falsch und nicht wahrhaftig sein." Osterod Vnterrichtung p. 43 Cfr. iterum Ionas Schlichtingius, cui obiecerat Meisnerus hoc: sed humana ratio (der m. Verstand) in divinis mysteriis capiendis coeca est, eius regulae valent tantum circa subiectum adaequatum, quod sunt creata entia. Huic Schlichtingius ita respondet: si divina mysteria seu id, quod de Deo in Scriptura revelatum est, non est subiectum adaequatum humanae rationi, ita ut illud intelligere queat et percipere, frustra et revelatur et explicatur. Imo ne revelari quidem et explicari potest, quod nec, qui explicat, nec cui explicatur, potest intelligere. — Rationis, inquit (Meisnerus), est audire, tacere, captivari, et acquiescere. Verum quidnam audire debet? sine mente sonum et sine sensu verba? num ergo nudis verbis, non ipsis credet rebus? quid? humanis verbis quo pacto

explicabitur, quod humana non capit ratio? Illa siquidem rebus verba imposuit eorumque significationem novit. Quod si verba suam significationem amittant, seu illud significent, quod nemo percipit, nonne perinde est, atque si quis exotica aliqua loquatur lingua, quam non tantum is, qui audit, sed ne ipse qui loquitur, intelligat? quis vero tali orationi, nisi insanus sit, fidem sese dicat adiungere? At quid aliud faciunt illi, qui quod non intelligunt, credere se dicunt? Tacere inquit, rationis est, captivari, acquiescere. Est sane: sed rationis vel imprimis est, intelligere: quomodo enim acquiescit alicui dogmati, antequam illud intelligat? Num vero tacebit, si intellecto dogmato manifestam in illo contradictionem et apertam falsitatem deprehendet?" l. c. p. 126. seq. „Derhalben halten wir dafür, dafs alle die sehr gröblich und gefährlich irren, welche vermeinen, dafs die h. Schrift ohne vorhergehende innerliche Erleuchtung und sonderliche Offenbarung des h. Geistes auf seine Wege den glauben und gehorsam in den menschen wirken können." Osterod Vnterr. c. 1. p. 4. fr. 8. ubi iure quidem refutare conatur sententiam: als könne der Mensch ohne sonderliche Erleuchtung und Offenbarung des h. Geistes keinen Nutzen, was die Seligkeit anlanget aus der h. Schrift haben, wenn er sie lieset oder lesen höret.

§. 95.

Tantum igitur abest, ut doctrina Sociniana omnem theologiam ex Dei conscientia vel in homine lapso non exstincta repetat ut eam ad solam rationis, viriumque humanarum conscientiam et normam revocet, et quis sit Deus, quae eius natura ac ratio, perspiciendi opera penitus supersedeat: qua quidem ex caussa nullam omnino esse Socinianorum theologiam recte nobis videmur contendere; quod iis etiam confirmatur, quae de omniscientia et omnipraesentia Dei somniant. Nam sensum boni ac pravi priorem esse in homine arbitrantur Dei ipsius idea, quam naturaliter insitam esse et innatam ho-

minibus negant. Propterea neque Dei, neque Filii Dei naturam perspiciendam curant, sed in illius voluntate exquirenda, huiusque munere cognoscendo acquiescendum esse putant. Inde et ipsam doctrinam moralem, qua in excolenda totus est Socinianismus, fundamento idoneo et apta methodo prorsus carere patet.

„Nostri homines saepius monuerunt, sententiam istam sapientis Prov. 25, 27. qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria (quamquam in hebraeo aliter est) in istos maxime convenire, qui Dei essentiam perscutari voluerunt ac de ipsa ea affirmarunt, quae si vera essent, ne angeli quidem ipsi plura fortasse de ea scire possent, et iis, quae in divinis oraculis clarissime patefacta sunt, non contenti ausi sunt, per mirabiles quasdam consecutiones multa, quae interim ipsimet nec percipiunt nec percipere possunt, de Deo et loqui et docere. Vnde factum est, ut iusto ipsius Dei iudicio eo devenerint, ut hac in re ipso sensu communi destituti fuerint eaque certissima esse et dixerint et crediderint, quae tamen nullo prorsus pacto vera esse posse apertissime et clarissime constat." F. Soc. Def. animadv. in assertt. theol. coll. Posnan. de trino et uno Deo. II. p. 672. „Receptior hodie sententia est, homini naturaliter eiusque animo insitam esse divinitatis alicuius opinionem, cuius vi omnia regantur ac gubernentur, quaeque humanarum rerum imprimis curam gerat, hominibus consulat atque prospiciat. Haec sententia, quam nos falsam esse arbitramur, non aliunde potius orta fuisse videtur, quam ex eo, quod videantur omnes homines opinione ista divinitatis alicuius imbuti esse. Verum animadvertendum erat, ab ipso initio, cum homo creatus fuit, Deum se illi patefecisse, qui primus homo cum nongentis triginta annis vixerit, posteros suos facile divinitatis opinione imbuere potuit (cuius absurdissimi argumenti sequuntur rationes). At sunt, qui dicant, id saltem negari non posse, ex sola huius mundi machina, si quis animum advertat, posse quemlibet non solum Deum esse manifeste cognoscere, verum etiam rebus humanis eum prospicere, plane percipere. Imo complures addunt, ex eadem machina omnem satis intelligere, quidquid opus est ad eam Dei notitiam, ex qua omnis religio proficiscitur. Sententia ista si-

militer vel ex eo falsitatis convincitur, quod praestantissimi quidam philosophi, inter quos maxime, ut creditur, Aristoteles, qui ingenii acumine omnes superasse videtur, qui hanc mundi machinam non aspexerint modo, ut ceteri omnes, aut quemadmodum multi fecerunt, eam sunt contemplati, sed diligentissime in ipsa universa eiusque singulis partibus rimandis atque expendendis sunt versati, huc pervenire non potuerunt, ut Deum inferiora haec singula curare suspicarentur vel hominum saltem singulorum eam curam habere intelligerent. Quin etiam ne creatum quidem a Deo mundum fuisse assequi potuerunt, imo id plane negarunt. — In loco Ps. 19. ubi scriptum est, coelos enarrare gloriam Dei et in omnem terram exivisse regulam sive sonum ipsorum, considerandum est, appellatione omnis terrae in sacris literis, praesertim vero in Psalmis, Iudaeam terram intelligi solere. — Act. 17, 26, 27. Deum fecisse, ut homines quaererent Dominum, si forte eum contrectarent et invenirent. Hic dico, quaerere Dominum nihil aliud esse, quam sancte vivere, ut ipse praecipit, eum autem invenire est illum sibi propitium experiri. — In omnibus enim hominibus naturaliter est aliquod iusti atque iniusti discrimen, aut certe in omnibus hoc situm est, ut cognoscant, et fateantur, iustum iniusto anteponi debere, honestum turpi. Hoc autem nihil aliud est, quam Dei verbum quoddam interius, cui qui obedit, ipsi Deo obedit, *etiamsi alioqui ipsum Deum ne esse quidem aut sciat aut cogitet.*" F. Soc. Praelectt. theol. c. 2. I. p. 537. seqq. „Lege sua Deus nobis hunc vitae nostrae scopum ac terminum constituit, ut honestum rectumque sequamur, fugiamus contraria. Vt autem Deus hoc duplici ratione fecit, vel naturaliter honesti turpisque notitiam mentibus hominum inserendo vel scriptis expressisque praeceptionibus — ita duplici sese olim homines flagitiorum genere obstringebant. Vel enim violabant honesti acturpis discrimen, naturaliter nobis insitum, vel expressam Dei legem transgrediebantur. — Quamquam enim dubium non est, quin istorum maiores aliqua divinitatis notitia imbuti fuerint, cum Deum primos illos homines ad colloquia sua admisisse illisque crebro apparuisse constet, a quibus Dei eiusque voluntatis notitia quaedam ad posteros dimanavit: evenit tamen, ut haec rerum divinarum cognitio a posteris neglecta et tandem progressu temporis plane exstincta fuerit, manente interim in eorum mentibus turpis honestique discrimine." Volkel de vera relig. I. IV. c. 4. p. 185. „Daſs aber die

Menschen von Gott oder von der Gottheit etwas wissen, das haben sie nicht von Natur, noch aus der Betrachtung der Schöpfung, *sondern vom Hörensagen:* sintemal sich Gott von Anfang an den menschen offenbaret hat. Zu welcher gehör aber solches nicht gekommen, die haben leichtlich wol gar keine opinion oder gedanken von irgent einer Gottheit, wie zu ersehen an ezlichen völkern in Neuindia und anderswo mehr. Vnd zwar, wenn die erkenntniſs Gottes natürlich wäre, so hätten sie alle menschen. Daſs aber solches falsch sey, kann man zum wenigsten daher merken, daſs ihrer viel nicht allein unter den idioten, sondern auch unter den gelehrten allwege gefunden, welche nicht gegläubet, daſs Gott sey oder er für die Menschen sorge, welches auch ezliche philosophen etwan sich nicht geschemet haben, öffentlich zu lehren." Osterod Vnterrichtung c. 1. p. 10. „So ist nun an Gott glauben anders nichts, denn daſs der Mensch seine Zuversicht auf ihn setze und ihm gehorsam sey." c. 10. „Ob wohl die Erkenntniſs Gottes vornehmlich bestehet in dem, daſs man seinen Willen wisse und demselben gehorsam sey: so ist doch vonnöthen, daſs man auch ezliche Dinge wisse, die seine essentiam angehen, als nämlich die, ohne welcher Erkenntniſs wir Gottes willen nicht könnten gehorsam seyn." c. 3. p. 23. „Es ist oben vermeldet worden, daſs Gottes Erkenntniſs vornehmlich und am allermeisten bestehe nicht in der Erkenntniſs seines wesens, sondern seines Willens und daſs man demselben gehorsam sey." c. 5. p. 34. „Zu erkennen den willen Gottes gegen uns ist nicht von nöthen, was da betrifft die ewige Seligkeit, daſs man erkenne das wesen Christi, sondern nur allein sein Ampt. — Was wir nun hie von Christi Wesen gedenken zu handeln, ist nicht vornehmlich das, was wir, sondern was andere und zwar jetziger Zeit die vornehmsten in vermeinter Christenheit halten etc." l. c. c. 6. p. 59. „Vna ratio videtur esse, quod Deo sint omnia praesentia, nempe, quia ipse tempori non subiaceat, sed in aerternitate perpetu sit, in qua nihil prius, nihil posterius est, eoque nihil praeteritum, nihil futurum, sed omnia praesentia. Respondemus. Deo quidem esse omnia praesentia, verum ea, quae aliquo modo sunt. Namque non entium nullae sunt qualitates. Atqui ea, que nec fuerunt, nec sunt, nec certo futura sunt, nullo modo sunt. Itaque ea Deo praesentia esse nequeunt: eiusmodi autem sunt (aut certe nos eas esse contendimus) voluntarias hominum actiones, quae nondum revera exstiterunt.

Quare nisi adversarii principium petere velint, necesse est, ut ad rationem istam concludendam probent omnia, quae fiunt, antequam facta essent, certo futura esse: hoc autem illud re vera est, quod in controversia est, et quo probato nos statim manus daturi sumus." F. Soc. Praelectt. theol. I. p. 545. „Nolo nunc perstringere errores de infinitate immensitate que praesertim Dei, qualem sibi somniant Lutherani." Smalcius in refut. thes. Franzii p. 3. „Omnipraesentiam Dei statuimus, sed talem, qualem Scriptura perhibet, nempe quoad virtutem, favorem et auxilium." l. c. p. 339. „Deus omnia scit, quae sua natura sunt scibilia, quemadmodum omnia potest, quae sua natura sunt possibilia. Verum sicut quaedam sunt, quae sua natura fieri nullo modo possunt et idcirco ea Deum facere posse nulla ratione dici potest, nec tamen ipsius omnipotentiae quidquam derogatur: ita quaedam sunt, quae Deus scire nulla ratione dici potest: nec tamen ipsius omniscientiae quidquam derogatur." F. Socinus l. c. p. 545. — „Qualem cognitionem intelligis? intelligo potissimum Dei per Christum erga nos voluntatis notitiam et ad eam cogitationum, morum actionumque nostrarum conformationem. Quid? an non necesse est ad cognitionem istam, novisse praeterea, quaenam sit Dei Christique natura sive essentia? Istiusmodi notitia eatenus tantum est necessaria, quatenus sine ipsa nec Dei per Christum erga nos voluntatem nosse, nec nos ad eam conformare possimus. — De cognitione Dei. Quid igitur de Dei natura sive essentia nosse omnino nos debere statuis? Haec duo in summa: quod sit et quod unus tantum sit. Ista enim de Dei essentia nosse i. e. sibi firmiter persuadere, necessaria censeo ad eius voluntatem istam percipiendam eique obediendum. Quid est, de Deo nosse, quod sit? Est nosse, quod in nos divinum imperium ex semet ipso habeat. Quid est nosse, quod unus tantum sit? Est nosse, seu firmiter sibi persuadere, ipsum solum esse, qui ex se ipso divinum imperium in nos habet." F. Soc. l. breviss. inst. I. p. 651. „Religio christiana est doctrina coelestis, docens veram viam perveniendi ad vitam aeternam. Haec autem via nihil aliud est, quam obedire Deo, iuxta ea, quae quae ille nobis praecepit per Dominum nostrum Iesum Christum. Hebr. 5, 9." F. Soc. Summa relig. christ. in Opp. I. p. 281. cfr. Cat. Rac. ed. Oed. p. 68.

CAP. 4.

DE TRINITATE.

§. 96.

Discrimen, unde cetera omnia fluunt, summi momenti primum illud est, quod, inter Socinianorum et omnium ecclesiarum christianarum doctrinam intercedit in loco de Trinitate divina. Negant illi, tres esse in una divina essentia personas, Patrem, Filium, Spiritum sanctum, propterea, quod personam idem esse perhibent atque naturam, Deique unitatem atque naturam (οὐσίαν) contraria illa de tribus in Deo personis (ὑποστάσεσι) doctrina penitus tolli. Omnino haud magni momenti opinantur quicquid hac de re statuas aut credas, dummodo unitatem teneas, eamque ob caussam non altius rem perquirendam censent. Ratiocinando repugnantiam primo reperiunt hac in sententia, qua personas tres esse, Deum numero unum affirmatur, deinde in SS. hac de re silentium; quae vero in contrariam partem excitantur et explicantur SS. dicta, aut ipsis fauere videntur, facili sua ratione et interpretatione ad suam mentem trahere conantur.

„Estne necessarium, ista scire aut credere (nimirum esse plures in Deo personas)? Est quidem necessarium, si quis veritatem plane nosse aut credere velit; sed ad vitam aeternam consequendam non crediderim esse omnino necessarium. Cur ita statuis? Quia non omnis veritas, etiam in iis, quae ad ipsam Dei essentiam pertinent, eiusmodi est, ut sine illius cognitione ipsius Dei per Christum nobis patefacta voluntas cognosci nequeat, aut illi, ut par est, obediri.

Et sane ut voluntas cognoscatur illique obediatur, haud necessarium est, scire aut *credere* veritatem hanc licet verissimam, in Deo videlicet plures una persona non esse, modo alioqui credas, Deum unum tantum esse. Quamvis enim istorum duorum utrumvis ex altero necessariō ac manifestissime consequatur, iam diu tamen fuerunt plerique Christiani nominis homines hodieque sunt adeo hac in re dementati, ut sibi persuadeant, Deum omnino unum tantum esse et tamen interim credant, tres esse in Deo personas, quarum quaelibet sit ille idem unus Deus, quo nihil absurdius, vel impossibilius, vel *denique* diuinis ipsis testimoniis repugnantius ne excogitari quidem potest." F. Soc. breuiss. inst. Opp. I. p. 652. „Expone, quae ad eam rem vehementer utilia censeas. Id quidem est, ut cognoscamus, in essentia Dei unam tantum personam esse. Demonstra hoc ipsum. Hoc sane vel hinc patere potest, quod essentia Dei sit una numero, quapropter plures numero personae in ea esse nullo pacto possunt, cum persona nihil aliud sid, nisi essentia individua intelligens. Quaenam est haec una persona diuina? Est ille Deus unus Domini nostri I. C. pater. Qui istud planum facis? Testimoniis scripturae euidentissimis, quae sunt: haec est vita aeterna, ait Iesus, ut cognoscant Te (Pater) illum solum Deum. Io. 17, 3. et ad Corinthios Apostolus scribit: nobis unus Deus (est) ille Pater, ex quo omnia. 1 Cor. 8, 6. 5. et ad Ephesios: unus est Deus et pater omnium, qui est super omnia et per omnia et in omnibus. Eph. 4, 6. Verum *Christiani* non solum Patrem, verum etiam Filium et Sp. S. personas esse in una Deitate vulgo statuunt? Non me clam est, sed grauiter in eo errant, argumenta eius rei afferentes e scripturis male intellectis." Cat. Rac. qu. 71—76. Quod regni Poloniae et magni ducatus Lithuaniae homines vulgo evangelici dicti, qui solidae pietatis sunt studiosi, omnino deberent se illorum coetui adiungere, qui in iisdem locis falso et immerito Arriani et Ebionitae vocantur. In Opp. F. Soc. I. p. 698. Osterod Vnterrichtung p. 28—34.

§. 97.

Christum neque ab aeterno genitum ex essentia patris filium, neque natura Deum, sed natura quidem hominem verum, tamen

etiam diuinum, quin Dei filium ac Deitatis unius illius Dei aliqua ratione participem esse dicunt. Mirabiliter enim conceptus ac natus, deinde ante initum munus publicum in coelum raptus (qua de re nihil expressum in Evangeliis legitur), tandem post resurrectionem a Deo ipso glorificatus exstitit, tradita propter summam erga Dei voluntatem obedientiam illi omnis potestas, denique factus Deus est. Neque tamen propterea duo Dii sunt, sed alter, qui super omnia, alter, qui Deus nuncupatur, propter mirificam conceptionem ac potestatem et gloriam, illi a Deo traditam. Subordinatum igitur Deo patri filium esse volunt, qua in sententia cum Arianis omnibusque fere Athanasianae doctrinae adversariis conveniunt. Samosatenicum autem et Photinianum placitum hoc est, in quo indoles Socinianismi versatur, nullam esse neque aeternitatis neque essentiae divinae veritatem in Christo. Omni igitur studio non solum singularibus S. S. locis suam sententiam comprobare, sed duplex etiam locorum genus, quod contrarium probat, cui accedunt etiam innumeri alii, satis frigide et universaliori quodam sensu e medio tollere nituntur.

„De Christi essentia ita statuo, illum esse hominem, Rom. 5, 15. in virginis utero et sic sine viri ope, divini spiritus vi conceptum ac formatum indeque genitum, primum quidem patibilem et mortalem 2 Cor. 13, 4. donec scilicet munus sibi a Deo demandatum in terris obivit, deinde vero, postquam in coelum ascendit, impatibilem et immortalem factum. Rom. 6, 9." — „Diuina ista Christi filiatio eatenus tantum ad eius naturam aliquo modo referri potest, quatenus id respicit, quod Christus diuini spiritus vi,

sine viri ope in virginis utero conceptus et formatus sit. Nam huiusce rei caussa eum Dei filium vocatum iri, ipsius Dei angelus ipsimet virgini praedixit Luc. 1, 35. et quidem consequenter Dei filium proprium et unigenitum, cum nemo alius hac ratione et ab ipso primo ortu Dei filius unquam exstiterit etc." Breuiss. inst. I. p. 654. „Ea vox, Deus, duobus potissimum modis in scripturis usurpatur: prior est, cum designet illum, qui in coelis et in terra omnibus ita dominatur et praeest, ut neminem superiorem agnoscat: ita omnium auctor est et principium, ut a nemine dependeat. Posterior modus est, cum eum denotat, qui potestatem aliquam sublimem ab uno illo Deo habet aut Deitatis unius illius Dei aliqua ratione particeps est. Etenim in scripturis propterea Deus ille unus Deus Deorum vocatur Ps. 50, 1. Atque ea quidem posteriore ratione Filius Dei vocatur Deus in quibusdam scripturae locis." Cat. Rac.[1] qu. 78. „Quaenam ea sunt, quae ad personam Christi referuntur? Id solum, quod natura sit homo verus, quemadmodum ea de re crebro scripturae sacrae testantur." l. c. qu. 95. „Ergo Dominus Iesus est purus homo? Nullo pacto. Etenim est conceptus e Sp. S. natus ex Maria virgine eoque ab ipsa conceptione et ortu Filius Dei est etc." l. c. qu. 96. „Dixeras paullo superius, Dominum Iesum natura esse hominem, an idem habet naturam diuinam? Nequaquam; nam id non solum rationi sanae, verum etiam diuinis literis repugnat." l. c. qu. 97. „Cedo, qui rationi sanae repugnat? Primo ad eum modum, quod duae substantiae proprietatibus adversae coire in unam personam nequeant, ut sunt: mortalem et immortalem esse, principium habere et principio carere, mutabilem et immutabilem existere. Deinde, quod duae naturae personam singulae constituentes in unam personam convenire itidem nequeant. Nam loco unius duas personas esse oporteret atque ita duos Christos existere, quem unum esse et unam ipsius personam, omnes citra omnem controversiam agnoscunt." l. c. qu. 98. — „Similiter, quod Filius hominis in coelo fuerit, ante quam eo conspicue ascenderit, revera et proprie ad hominem illum, Iesum Nazarenum referri et potest et debet. Nam quod re vera homo ille, postquam natus est ex virgine et antequam Euangelium annunciaret, in coelum fuerit ibique ab ipso Deo ea didicerit, quae humano generi patefacienda per ipsum erant; adeo est verosimile, ut aliter non fieri non potuisse videatur." F. Soc. de Deo, Christo et Sp. S. sive argumenti omnium potissimi refu-

tatio, in Opp. I. p. 813. — „Cum contra nihil verisimilius et verbis ipsius Christi et hic et alibi magis consentaneum sit, quam ipsum Christum, postquam natus est homo et antequam munus sibi a Deo Patre suo demandatum obire inciperet, in coelo, diuino consilio atque opera fuisse et aliquamdiu ibi commoratum esse, ut illa ab ipso Deo audiret et praesens apud ipsum, ut ipsa scriptura loquitur, videret, quae mundo mox annunciaturus et patefacturus ipsius Dei nomine erat. · Verba autem ipsius Christi hoc ipso in loco (Io. 3, 13.) non minus, quam in superiore, de filio hominis i. e. de homine expresse sunt dicta. Et si quis vel id animadvertat, quod factum est cum Mose, antequam diuina lex tota ipsius ministerio promulgaretur et manufacta opera omnia, quae ad ipsum diuinum cultum pertinerent, cuius materiae cuiusve formae esse deberent, ipsi Mosi a Deo praescriberetur: statim fatebitur (praesertim cum certum alioqui sit, Mosem Christi typum fuisse), nihil convenientius excogitari posse, quam ut Christus ante illud tempus, quod diximus, in coelum ad Deum idque fortasse non semel, ascenderit. Ibique aliquamdiu cum eo fuerit. Moses enim, ante primam legis promulgationem ad Deum in montem Sinai ter, si quis diligenter animadvertat, ascendisse legitur Exod. 19. et cum ipsius legis decem illa verba, in duabus tabulis lapideis, digito Dei inscripta, ad populum afferenda essent, et simul ea quae diximus, ad cultum Dei spectantia, constituenda et alia populo praecipienda, in eundem montem idem Moses similiter ad Deum ascendit, ibique cum eo per quadraginta dies et quadraginta noctes fuit, idque bis videlicet, et cum primum illae duae tabulae ei sunt datae et cum iterum, proiectis ab eo et fractis prae ira, ob populi indololatriam, illis prioribus, alteras duas similes habuit, quas ad populum afferret et in arca Dei postmodum reponeret, 25, 16. Nam ut Moses Christum, sic montis Sinai coelum antitypum esse, apertissimum est. Quin-etiam ipse mons propter Dei, qui tunc ibi fuit, praesentiam, coelum eo tempore fuisse dici potest; certe Moses Dei vocem, quae de illo monte exstitit et audita a populo fuit, e coelo auditam fuisse ait Deut. 4, 36. Interr. Video hac ratione (quantumvis nova et maioribus nostris fortassis inaudita) complura testimonia sana admodum alioqui explicatu difficilia planissima reddi. Tantum dic quaeso, cur Evangelistae in sua historica de Christo narratione istius eius in coelum ascensus nullam mentionem fecerunt? Resp. In promptu caussa est, cum

res ista eiusmodi fuerit, quae a nemine conspecta sit, nec porro plane conspici a quoquam potuerit etc." Breuiss. inst. l. c. p. 6715 Idem est, quod Ostrodus lepide ita commentus est. „Es möcht aber Iemand sagen: ist Christus der Mensch, nachdem er schon geboren war, im Himmel gewesen, u. von dannen kommen, so muſs er zuvor hinaufgestiegen seyn. Weil man aber von dieser Sache in H. Schrift nichts findet, lasse sichs ansehen, daſs unsere Meinung nicht wol bestehen könne. Hierauf geben wir erstlich zur Antwort: daſs es nicht folge, so von Christi aufsteigen gen Himmel, ehe er von dannen kommen, nichts geschrieben ist, daſs er darumb nicht hinaufgestiegen oder genommen sey, u. sagen, daſs es gnug sey, daſs man solches, gleichwie in derselben Obiection selber geschicht, durch ein consequentiam beweise. Denn gewiſslich, wo Christus im Himmel gewesen ist, nachdem er schon ein Mensch war, so muſs er nothwendig daselbst hinaufgestiegen oder genommen seyn, nachdem er ein Mensch geboren war, obwohl solches schon im geringsten nicht in h. Schrift gelesen würde. Aber danach sagen wir, daſs es geschrieben sey: denn so lesen wir Ioh. 3, 13. Niemand ist in den Himmel gestiegen (so stehen die Worte im Griechischen und nicht, wie sie Luther vertiret) nur der vom Himmel gestiegen ist, des Menschen Sohn, der im Himmel war. Siehestu, daſs hie ausdrücklich affirmiret wird, daſs des menschen Son, das ist, Christus der mensch in den Himmel hinaufgestiegen sey. Diese wort aber hat Christus selber geredt noch zuvor, ehe er sichtbarlicherweise gen Himmel genommen ist; wird deshalben aus denselben offenbar, das Christus der mensch in den Himmel zuvor, ehe er sichtbarlich dahin genommen, gestiegen und also wieder von dannen genommen sey. Welches sich denn genzlich so gebührete. Denn so Moses, welcher Christi Figur war, auf den h. Berg gestiegen, daselbst mit Gott oder mit seinem Engel eine Zeitlang conversiret u. geredet, ehe Gott durch ihn seinem Volk die steinernen Tafeln gegeben, auf welche er sein Gesetz geschrieben hatte und ihm die Dinge, welche zum Gottesdienst gehöreten, welcher durchaus in euserlichen u. leiblichen Dingen bestund, vorgeschrieben hat: wieviel mehr hat Christus, durch welchen Gott der welt das geheimniſs des euangelii offenbaren und seinen durchaus geistlichen Gottesdienst vorschreiben wollen, in den himmel steigen sollen, mit Gott allda eine zeitlang conversiren und von ihm selber gelehret werden, was er reden und

thun solt, wie denn Christus selber gesagt, daſs er nichts von ihm selber gethan oder geredt, sondern wie ihn sein Vater geleret u. ihm geboten hatte Ioh. 8, 28. 29. 12, 40. Daſs aber nicht Iemand gedenken möcht, als were es unmöglich oder ungewöhnlich, daſs ein mensch vor seinem Tode könne in dem himmel seyn und wieder von dannen kommen, der bedenke nur, was der Apostel Paulus von ihm selber gezeuget hat, nämlich daſs er in den dritten himmel genommen u. im Paradieſs gewesen sey. 2 Cor. 12, 2. Dieſs kann nun ein jechlicher sehen u. verstehen, das es hat geschehen können. Aber von Gott halten wollen, daſs er vom Himmel herab oder auch hinauf gestiegen sey, das ist wider allen verstand, sintemal der himmel sein stuel und die erde sein fuſsschemel ist. Esa. 66, 1. Act. 7, 49." Osterod Vnterrichtung p. 94 sqq. — „Est enim Christus patri subordinatus, cum, ut dictum fuit, omnem suam potestatem ab ipso acceperit, eamque pro eo exerceat atque una cum totus perpetuo ab illo pendeat, ita, ut necesse sit, quicquid hac subordinatione inspecta neque enim aliter licet, quantumvis nominatim atque expresse a Christo petitur, id eadem opera a Patre peti. Haec enim est subordinationis constantissima natura, et omnia, quae subordinato ipsius subbordinationis gratia tribuuntur, ad eum, cui subordinatus est, referantur." F. Soc. breuiss. inst. l. c. p. 672. „Wir wollen aber jetzt dieſs faren lassen und pergiren in der consideration oder betrachtung der erhöhung Christi und die Worte des Apostels insonderheit besehen. Erstlich saget er: darumb auch Gott etc. Niemand zweifelt, daſs Christus göttliche macht und herrschaft hab, sowol im himmel als auf der erden, kurz zu sagen, das er aller Herr sey, sowol der engeln, als der menschen u. darumb von allen, wie Gott selber müsse geehret werden. Nur hierin stehet der Zweifel, ob Christus solch ein Herr sey von ihm selber und also ob er der einige Gott selber sey, oder nicht. Diesen Zweifel löset uns hie der Apostel auf mit den Worten, in welchen er klärlich bezeuget, das Christus one vorhergehende ursach, so hier klerlich beschrieben, nemlich one den gehorsam bis zum Tod, zu solch einer herrschaft nicht gekommen u. derhalben nicht von ihm selber solch ein Herr sey, sondern von Gott zu solch einen Herrn gemacht etc." Osterod Vnterr. p. 124. „Aus diesem aber werden vielleicht unsere adversarii schliessen, daſs wir von Christo nicht mehr halten, denn von einem jechlichen Christenmenschen. Das sey

ferne von uns: denn wir nicht zu dem end anzeigen, das auch die Christen Gottes Kinder sind, als wollten wir sie Christo gleich machen, sondern nur allein dazu, das man sehe die Nichtigkeit des argumenti unserer adversariorum; sonsten gläuben und bekennen wir, das Christus auf viel eine herrliche weise u. die zum theil weit von uns verschieden ist (denn welcher Christ ist vom h. Geist empfangen, wie er?) Gottes Son sei, denn wir. Jedoch sagen wir das daneben, das die wahrhaften Christen mit Christo, in derselben seiner göttlichen Kindschaft, viel gemein haben, daher er sich nicht geschämet, sie Brüder zu heifsen. Hebr. 12, 11. Daher haben sie alle beide, das ist, sowohl Christus, als die Christen, Gott selber zum Vater: welches denn auf keine weise könt war seyn, wo die Christen nicht auch zum guten Theil also Gottes Kinder weren, wie Christus ist." Osterod l. c. p. 52. Cfr. p. 132 Dictorum probantium interpretationem et orthodoxae refutationem suscepit post F. Socinum, aliosque huius sectae, Catech. Rac. qu. 102—191.

§. 98.

Nihilo tamen minus hominem hunc, Deum postea factum, adorationis honore persequendum, summamque fiduciam in eo ponendam esse docent Sociniani. Qua in adoratione propugnanda totus Faustus Socinus est contra suae sectae fanaticos, praesertim Franciscum Dauidis, qui sibi constantes indololatriae notam effugere volebant. Sociniani autem sibi ipsis contradicere malunt, quam pro christianis non haberi.

De Iesu Christi invocatione disputatio, quam F. Socinus per scripta habuit cum Francisco Dauidis a. 1578 et 1579. paullo ante ipsius Francisci obitum in Soc. Opp. II. 709 sqq., Disputatio inter F. Socinum et Christianum Franken de honore Christi i. e. utrum Christus, cum ipse perfectissima ratione Deus non sit, religiosa tamen adoratione colendus sit, nec ne: habita 14. Mart. a. 1584. l. c. p. 767 sqq. „Semper

et ubique non Deum solum, sed Christum quoque adorare cogimur seu tenemur eique servire; hoc necessario requirente summa, quam habet in nos cum Patre Deo communem, potestate, a nobis necessario agnoscenda, ea enim nequaquam a nobis agnosceretur eo modo, quo agnosci debet, si unquam eum adorare eique servire praetermitteremus." F. Soc. in ep. 2. ad Niemojevium Rac. a. 1618. „In quo is honor diuinus Christo debitus consistit? In eo, quod quemadmodum adoratione diuina eum prosequi tenemur, ita in omnibus necessitatibus nostris eius opem implorare possumus. Adoramus vero eum, propter ipsius sublimem et diuinam eius potestatem." Cat. Rac. qu. 237. p. 443. „Ergo is honor et cultus Christo ad eum modum tribuitur, ut nullum sit inter Christum et Deum hoc in genere discrimen? Imo permagnum est. Nam adoramus et colimus Deum tanquam caussam primam salutis nostrae; Christum tanquam secundam, aut, ut cum Paulo loquamur, Deum tanquam eum, ex quo omnia, Christum ut eum, per quem omnia." l. c. qu. 245. „Quid vero sentis de iis hominibus, qui Christum non invocant, nec adorandum censent? Prorsus non esse Christianos sentio, cum re ipsa Christum non habeant. Et licet verbis id negare non audeant, re ipsa negant tamen." l. c. qu. 246. „Warumb wir uns fleissig bemühen, Christi zu sein und ihm gehorsam zu leisten und um seinentwillen alles unglück, auch den schrecklichen Tod selbst nicht zu fliehen. Veber das so schreyen wir jezt zu ihm umb hülfe in unsern nöten, sonderlich in den geistlichen und ehren ihn mit göttlicher reverenz und anbetung, sowohl eusserlich als im Herzen. Welches denn allein genugsam beweiset, dass wir Christum nicht für ein pur lautern menschen halten, was seine qualitates betrift, welche so sehr übertreffen menschliche condition u. zustand und solch eine majestät, herrschaft und macht in sich begreiffen, das wir ihm, obwol sein wesen kein anderes, denn eines menschen wesen ist, dennoch mit gleicher art des gottesdienstes ehren, mit welchem wir sonst Gott selbst ehren, welcher ihn zu seiner rechten gesetzet und ihm seinen eignen stuhl zu besitzen eingegeben hat, Apoc. 3, 21. Vnd derhalben neben Gott, ja sampt Gotte zugleich von allen Creaturen geehret u. angebeten wird. Apoc. 5, 13." Osterod Vnterrichtung p. 134. cfr. 131. 89.

§. 99.

Spiritum sanctum non esse personam in Deitate, multis argumentis probare conantur Sociniani, ac proprietate vocis retenta docent, Sp. S. esse vim ac potentiam Dei, Evangelium, Deique denique donum. Hunc in modum accipiunt locos S. S. in quibus Spiritui S. actiones personarum propriae et ad Deum ipsum spectantes attribuuntur.

„Verum quid, quaeso, saltem de Spiritu sancto nunc mihi dicis, de quo isti similiter affirmant, eum esse diuinam personam, nempe tertiam et unum atque eundem numero Deum cum Patre et Filio? Quid ipse cum istud nullo pacto admittas, de eo statuendum censes? Nempe, illum non esse personam aliquam a Deo, cuius est Spiritus, distinctam, sed tantummodo (ut nomen ipsum Spiritus, quod flatum et aflationem, ut sic loquar, significat, docere potest) ipsius Dei vim et efficaciam quandam i. e. eam, quae secum sanctitatem afferat, et quae seqq." F. Soc. breuiss. inst. l. c. p. 652. Cfr. F. Socini locorum, qui ad probandam diuini Spiritus sancti Personam a nobilissimo quodam viro allati fuerunt, explanatio. Opp. II. p. 438 sqq. „Quid vero is Sp. S. est? Vt facilius intelligas, quid is sit Sp. S. sic habeto primum, in scripturis n. foed. Sp. S voce designari ipsum Iesu Christi Euangelium, ut locus 1 Cor. 2, 10. aperte indicat, si cum loco 2 Tim. 1, 10. conferatur. — Vocatur autem Euangelium Spiritus, partim, quod in eo contenta ab ipso Deo sunt patefacta, nec ullo modo ingenio humano indagari, nec investigari potuere: partim, quod hominis spiritum respiciant, et nos spirituales reddat, quod lex non potuit. Quo sensu cum accipitur vox Sp. S. tum omnibus datur, quibuscunque annunciatur Euangelium. Deinde ea vox Sp. S. designat Dei donum, quod certis hominibus datur, quod, cum a scriptura vocetur arrha aut etiam arrha haereditatis nostrae et simul de eo dicitur, quod in corda nostra effundatur 2 Cor. 1, 22. 5, 5. Eph. 1, 14. hinc necessario efficitur, nihil aliud esse, quam firmam et certam vitae aeternae nobis promissae spem, cuius in cordibus

nostris gustum sensumque percipiamus." Cat. Rac. qu. 367. „Sp. S. non esse in Deitate personam, hinc discere potes primum, quod ea, quae Spiritui S. in scripturis attribuuntur, nulla prorsus ratione personae conveniant, ut sunt: quod detur, quod ex eo detur idque aut secundum mensuram, aut absque omni mensura, quod effundatur ipse et ex ipso effundatur et quod eo potentur homines, quod augeatur, in duplo detur, in partes distribuatur, tollatur ipse et ex ipso tollatur, quod interdum sit, interdum non sit, denique quod extinguatur, et similia in scripturis exstant. Deinde idem ex eo patet, quod non sit extra Deum natura, sed in ipso Deo. Nisi enim natura a Deo inesset, non potuisset Paulus Spiritum Dei cum spiritu hominis, qui homini inest, natura conferre. 1 Cor. 2, 11. — Quoniam vero Sp. S. in Deo est, nec tamen in Sp. S. reciproce dici potest esse Deum, hinc apparet, Sp. S. non esse personam. Praeterea cum superius demonstratum sit, unam tantum esse in Deitate personam et Sp. S. Dei virtus sit, ut verba Christi ad Apostolos indicunt Luc. 24, 49. efficitur, Sp. S. non esse personam diuinam. Denique si Sp. S. esset persona, essentiam quoque divinam eam habere oporteret. Nam ea attribuuntur ei, quae propria sunt essentiae divinae; at superius docuimus, substantiam divinam unam esse numero, nec tribus personis esse posse communem. Quamobrem Sp. S. non esse Deitatis personam, planum est." l. c. qu. 371. „Vnd weil der h. Geist Gottes Kraft und wirkung ist, so ist es gar kein wunder (ja billich solt es einen wunder nemen, wenn es nicht geschehe) das ihm die Dinge, welche Gott eigentlich angehören, zugeeignet werden. Woher es auch kommt, das gar oft durch den Namen des h. Geistes nichts anders, denn Gott selber mufs verstanden werden. Aus dieser unser solution wird offenbar, was wir vom h. Geist halten: nehmlich das er keine person sey, welche von dem einigen wahrhaftigen Gott, dessen Geist er ist, verschieden were; sondern nur allein seine Kraft, wiewol nicht eine jechliche, sondern nur die, welche da irgent auf einerlei weise heilig machet." Osterod l. c. p. 32.

CAP. 5.

DE STATU HOMINIS ANTE LAPSUM ET POST LAPSUM.

§. 100.

Imaginem Dei, ad quam creatum esse hominem docent literae sacrae, non, ut Orthodoxi statuunt, immortalitatis et iustitiae originalis donum, sed dominatum rerum inferiorum ac rationem, qua superior est omnibus creaturis, fuisse affirmant Sociniani. Idem nunc etiam status hominis est, qui Adami. Aeterna mors, quam Deus minatus est, damnatio fuit, cui quivis homo propter peccata a Deo subiicitur. „Peccatum non mortalitatis naturalis, sed necessariae mortis caussa fuit.“

F. Socin. de statu primi hominis ante lapsum disp. quam per scripta habuit cum Franc. Puccio, Florent. a. 1578. Opp. II. p. 253. De loco Pauli ad Rom. c. 7. et Defensio advers. reprehens. ministri euang. a. 1595. in Opp. I. p. 87. 115. „Dei imago et similitudo, ad quam conditus est homo, ne in ipsa quidem mente ac ratione, unde omnis iustitia in illum derivari poterat, praecipue consistit, sed in dominatu rerum omnium, praeser im inferiorum, sex illis diebus a Deo creatarum, ut satis patet ex loco ipso, ubi primus homo ad Dei imaginem et similitudinem factus fuisse narratur Gen. 1, 26. „F. Soc. Praelectt. theol. c. 3. cf. c. 1. „Cum nego, hominem a Deo immortalem fuisse creatum, non intelligo, eum ab ipso creationis initio morti penitus fuisse obnoxium, adeo, ut ei omnino moriendum esset: sed tantummodo sua natura morti fuisse subiectum, et nonnisi divina gratia, qua in ipsa creatione donatus non fuerat, a morte immunem perpetuo esse posse.“ F. Soc. adv. Pucc. c. 4. „Qui vero id conveniet iis scripturae locis, in quibus scriptum exstat, hominem ad imaginem Dei creatum esse et creatum ad immortalitatem et quod

mors per peccatum in mundum introierit Gen. 1, 26. 27. Sap. 2, 23. Rom. 5, 12? — Sciendum est, imaginem Dei non significare immortalitatem (quod hinc patet, quod scriptura eo tempore, quo homo aeternae morti subiectus fuerat, agnoscat in homine istam imaginem. Gen. 9, 6. Iac. 3, 9. — sed potestatem hominis et dominium in omnes res a Deo conditas supra terram designare, ut idem locus, in quo de hac eadem imagine agitur Gen. 1, 26. aperte indicat." Cat. Rac. qu. 42. „Quae igitur est horum verborum verborum sententia, quod mors per peccatum introierit in mundum? Haec, quod Adamus ob peccatum decreto et sententia Dei aeternae morti subiectus est: proinde omnes homines eo, quod ex eo nati sunt, eidem aeternae morti subiacent." l. c. qu. 45. Volkel de vera relig. l. V. c. 18. p. 548. Osterod Vnterr, c. 33. p. 264.

§. 101.

Lapsum hominis primi esse caussam deprauationis humani generis constanter negant: nullum secundum Socinianos peccatum originale est. Quemadmodum Adam ita a Deo conditus erat, ut libero arbitrio praeditus esset, ita inter poenas, quibus illius peccatum punivit Deus, nulla exstat liberi arbitrii amissi mentio. Ita quidem, quae de peccato originali intelliguntur ab Orthodoxis S. S. loci, de peccatis actualibus explicantur a Socinianis. Nihilo minus, quamquam imputationem peccati adamitici respuunt sensu orthodoxo, tamen propagationem statuunt, quam reatum appellat Socinus, secundum quem morti obnoxius quivis homo sit.

„Cupiditas ista mala, quae cum plerisque hominibus nasci dici potest, non ex peccato illo primi parentis manat, sed ex eo, quod humanum genus, frequentibus peccatorum actibus, habitum peccandi contra-

xit et se ipsum corrupit, quae corruptio per propagationem in posteros transfunditur. Etenim unum illud peccatum per se non modo universos posteros, sed ne ipsum quidem Adamum corrumpendi vim habere potuit. Dei vero consilio in peccati illius poenam id factum esse, nec usquam legitur et plane incredibile est, imo impium id cogitare, Deum videlicet, omnis rectitudinis auctorem, ulla ratione prauitatis caussam esse, quae tamen prauitas, quatenus, ut dictum est, per propagationem in hominem derivatur, peccatum proprie appellari nequit. — Concludimus igitur, nullum, improprie etiam loquendo, peccatum originale esse, i. e. ex peccato illo primi parentis nullam labem aut pravitatem universo generi humano necessario ingenitam esse, sive inflictam quodammodo fuisse nec aliud malum et primo illo delicto ad posteros omnes necessario manasse, quam moriendi omnimodam necessitatem, non quidem ex ipsius delicti vi, sed quia cum iam homo natura mortalis esset, ob delictum illud suae naturali mortalitati a Deo relictus est; quodque naturale erat, id in delinquentis poenam prorsus necessarium est factum. Quare qui ex ipso nascuntur, eadem conditione nasci omnes oportet, nihil enim illi ademptum fuit, quod naturaliter haberet vel habiturus esset." F. Soc. Praelectt. theol. c. 4. „Peccatum originis nullum prorsus est; quare nec liberum arbitrium vitiare potuit. Nec enim e scripturis id peccatum originis doceri potest et lapsus Adae cum unus actus fuerit, vim eam, quae deprauare ipsam naturam Adami, multo minus vero posterorum eius posset, habere non potuit. Ipsi vero id in poenam irrogatum fuisse, nec scriptura docet, uti superius exposuimus et Deum illum, qui aequitatis fons est, incredibile prorsus est, id facere voluisse." Cat. Rac. qu. 423. p. 865. „At Paulus Rom. 5, 12. ait: in Adamo omnes peccasse? Non habetur eo loco, in Adam omnes peccasse: verum in graeco sunt ἐφ᾽ ᾧ, quae passim interpretes reddunt latine: in quo, quae tamen reddi possunt per particulas quoniam aut quatenus, ut e locis similibus Rom. 8, 3. Phil. 3, 12. Ebr. 2, 18. 2 Cor. 5, 4. videre est. Apparet igitur, neque ex eo loco extrui posse peccatum originis." Catech. Rac. qu. 426. cfr. ib. Oeder. p. 897. „Plerique ex sacris literis mirabilia quaedam paradoxa hodie sibi fingunt, quale est istud, in quolibet homine nisi gratia et spiritu Dei regeneretur, propter peccatum primi parentis ipsam mentem superioremque rationem adeo corruptam esse, ut Deo adversetur, cum tamen

hac de re nullum verbum fiat in sacris literis et quicquid in illis de humani generis corruptione dicitur, nec usquam ad Adami lapsum tanquam ad suam caussam referatur, et ubique nullo pacto de superiore ratione, sed de voluntate, proxima actionum humanarum caussa, sit accipiendum. Studium igitur carnis Rom. 8, 6. seu mens carnis Col. 2, 18. non quidem superiorem rationem in homine non regenito, sed voluntatem ab appetitu, qui in homine inferiorum rationem complectitur et proficiscentem significat." F. Soc. Defens. disputat. de loco Rom. 7. Opp. I. p. 119. „Vnde apparet, propriam et veram peccatorum caussae non corruptionem naturae esse, sed voluntatis liberae malum usum." l. c. p. 133. „Quamvis enim quis per totam vitam suam ab omni peccato actuali immunis esset, remaneret tamen reatus, quem ab Adamo primo parente nostro propter ipsius inobedientiam omnes contrahimus, cuius vi necessariae morti in perpetuum subiicimus. Rom. 5, 12. — Postquam primus homo peccauit, caeteri omnes, qui ab eo sunt propagati, propter hoc, quod ab eo sunt propagati, qui propter suum peccatum morti penitus ex diuina sententia fuit addictus; sint licet alioqui sine peccato, ipsi quoque similiter morti penitus sunt addicti, ex qua diuinae tantum misericordiae ope liberari queunt." l. c. p. 122. Volkel de vera relig. l. V. c. 18. p. 547. Osterod Vnterr. c. 33.

§. 102.

Quamquam ad perficiendum bonum vires hominis natura exiguas esse conceditur, tamen voluntas natura admittitur. Et auxilium Dei duplex est, interius et exterius, quorum tamen illud, sive diuini Spiritus interior gratia non, ut statuunt Orthodoxi, ad inchoandum bonum, verum ad perficiendum credentibus tantum et obedientibus contingit. Quo quidem in loco ultra Pelagianam doctrinam euagatur Sociniana. Praedestinationis autem nullus est hoc in systemate locus, imo acriter repudiatur, siquidem omnem hominis sortem a libero ipsius arbitrio pendere docent.

F. Socini de libero hominis arbitrio deque aeterna Dei praedest. scriptum Ion. Iac. Grynaeo oblatum in Brev. tract. Rac. 1613. „Postquam igitur docuisti: liberum arbitrium originis peccato vitiari non potuisse, expone porro: quam longe vis liberi arbitrii pateat? Communiter in hominibus natura exiguae admodum sunt vires ad ea, quae Deus ab illis requirit, perficiendum: at voluntas ad ea perficiendum omnibus adest natura. Nihilominus tamen eae vires non ita prorsus exiguae sunt, ut homo, si vim sibi facere velit, diuino auxilio accedente, non possit voluntati diuinae obsecundare. Auxilium vero suum nemini Deus prorsus denegat ex iis, quibus voluntatem suam patefecit: alioquin Deus nec castigare, neque punire iuste contumaces posset, quod tamen utrumque facit." Cat. Rac. qu. 427. p. 900. „Quodnam est auxilium istud diuinum? Duplex est interius et exterius. Quod vero exterius est? Sunt promissa et minae, quorum tamen promissa vim habent longe maiorem. Vnde etiam quod sint sub nouo foedere longe praestantiora promissa, quam sub vetere fuerant, facilius est sub nouo, quam sub vetere foedere voluntatem Dei facere. Quod autem interius est? Id nimirum, cum Deus in cordibus eorum, qui ipsi obediunt, quod promisit, obsignat." l. c. qu. 428. 429. p. 904. Ad inserendam animis nostris firmam et certam spem, cuius virtute in omnibus tentationibus inuicti in fide subsistamus, videtur necessario requiri, ut ea promissio exterius per Euangelium proposita, interius a Deo in cordibus nostris obsignetur. Omnibus illa interior obsignatio contingit, quibus exterior, hoc est, quibus Euangelium annunciatur? Nequaquam, verum iis tantum, qui Euangelio sibi annunciato crediderint et exteriorem illam rationem, quam Deus in confirmanda promissione vitae aeternae adhibet, amplexi, eoque usi, quemadmodum oportet, fuerint. Etenim si illud donum Sp. S., quod ad tempus durauit, non dabatur nisi credentibus Euangelio, multo magis id Sp. S. donum, quod perpetuum est, aliis non dari statuendum est, nisi qui et Euangelio plane crediderint et illud ex animo amplexi fuerint. Nonne ad credendum Euangelio Sp. S. interiori dono opus est? Nullo modo; nec enim in Scripturis legimus cuiquam id conferri donum, nisi credenti Euangelio." Cat. Rac. qu. 368. seqq. p. 603. seqq. „Spiritum suum Deus Euangelii I. C. praedicationi assentientibus et vitam emendare instituentibus largitur, quo promissiones sibi, si resipuissent, in Euangelii praedicatione factas non inanes futuras sentient et

propterea iam Deum pro patre agnoscent." Opp. I. p. 98. „Quid vero tu de praedestinatione censes? Ea de praedestinatione Dei sententia prorsus fallax est, id vero duas ob caussas potissimum: quarum una est, quod totam religionem corruere esset necesse: altera, quod Deo multa inconvenientia attribui oporteret." l. c. qu. 435. p. 908. F. Soc. Praelectt. theol. c. 5. et 13. seqq. in Opp. I. p. 556. seqq. De Christo Serv. P. 4. c. 13. II. p. 242. Bengel l. c. XV. p. 193. seqq.

CAP. 6.

DE MODO ET ORDINE SALUTIS.

§. 103.

Summi momenti locus, quin principium ac fundamentnm totius huius systematis est; nulla alia ratione, nisi ipsarum virium exercitatione assidua morumque ad legem diuinam compositione hominem posse ad veram virtutem, nec ulla alia ratione, nisi virtute et moribus ad salutam peruenire. Ita quidem ad legem Dei in religione christiana reuelatam et ad exemplar Christi conformatus peccatorum reatu solutus et omnis per Christum a Deo promissae salutis particeps fit. Haec summa religionis christianae secundum Socinianos. Hunc ad finem singulae tendunt doctrinae Socinianae partes sibi constantes. Quae ad salutem perveniendi via omne quidem hominis meritum excludit, hac in re cum protestantium doctrina conveniens; quin salutis donum mere gratuitum censetur: tamen totum seruatoris et iustificationis opus a Christo peractum

nova prorsus ratione utraque via ordinatur et aestimatur.

Pertinet huc ad illustrandas contrarias sententias praecipue F. Soc. scriptum illud: Quod regni Poloniae etc. in Opp. I. p 691. seqq. „Religio christiana est doctrina coelestis, docens veram viam perveniendi ad vitam aeternam. Haec autem via nihil est aliud, quam obedire Deo, iuxta ea quae ille nobis praecepit, per Dominum nostrum Iesum Christum." F. Soc. Summa relig. christ. in Opp. I. p. 281. Cfr. Bengel l. c. XIV. p. 146. seqq.

§. 104.

Nam hoc ex Socinianorum opinione vanum est Orthodoxorum commentum, Christum alia ratione, quam praedicatione Evangelii et exemplo inservisse humano generi, morte sua nobis meruisse salutem, Deum hominibus conciliasse, divinae iustitiae pro nobis satisfecisse. Haec omnia nec mortis Christi fructus esse per se posse, nec in sacris libris doceri tradunt; imo, quae de morte ac satisfactione Christi doceantur, homines avocare a studio bonorum operum. Christum satis est viam monstrasse, qua curreremus ipsi, nosmet ipsi converteremus. Quam ad tenuem et exilem doctrinam confirmandam mirifice abuti libris sacris solent.

F. Soc. de Iustificatione. Opp. I. p. 601 seqq. De Iesu Christo servatore l. II. c. 8. III. c. 4. Opp. I. 2. p. 121 seqq. Praelectt. theol. c. 20. p. 519. Breviss. inst. p. 667. Hug. Grotii de satisfactione Christi contra F. Socinum c. 8. p. 109 seqq. Joh. Crellii Resp. ad Hug. Grot. de satisf. Chr. in Bibl. Fr. Poll. V. p. 1 seqq. „Non quia is Deo morte sua id solverit, quod nos propter scelera nostra eius iustitiae debebamus, atque ea ratione Deum nobis conciliaverit, aut, quia merito tam insigni obedientiae suae iram Dei

adversus nos placaverit: siquidem neque his rebus quidquam opus erat, neque eae ullo modo fieri poterant: sed, quia nos, qui a Deo aversi eramus, sui sanguinis fusione ac morte interveniente, ad Deum, qui iam ultro nobis pacem offerebat et in ipso Christo quam maxime propitium nobis se ea ratione ostendebat, adduxit, atque ut illi in posterum confideremus exque illius praescripto obediremus, effecit, quod et fieri poterat, et solum faciendum testatur." F. Soc. de iustificat. 603 seqq. „Cur vero ita crebro omnia haec morti Christi adscribit scriptura? Propterea, quod mors via ad resurrectionem et exaltationem Christi fuerit, adeo, ut sine ea, secundum Dei decretum, pervenire ad illam non potuerit. Deinde, quod ex omnibus, quae Deus et Christus nostrae salutis caussa fecerunt, mors Christi potissimum nobis Dei et Christi charitatem ostendat et ante oculos ponat. — Nonne est etiam aliqua alia mortis Christi caussa? Nulla prorsus. Etsi nunc vulgo Christiani sentiunt, Christum morte sua nobis salutem meruisse et pro peccatis nostris plenarie satisfecisse, quae sententia fallax est et erronea et admodum perniciosa." Cat. rac. qu. 387. 388 et quae sequuntur. „Cedo, qui istud rationi repugnet? Id quidem hinc perspicuum est, quod sequeretur, Christum aeternam mortem subiisse, si Deo pro peccatis nostris satisfecisset, cum constet, poenam, quam homines peccatis meruerant, aeternam mortem esse. Deinde consequeretur, nos Christo, quam Deo ipsi devinctiores esse, quippe qui satisfactione multum gratiae nobis ostendisset, Dei vero exacta satisfactione nulla prorsus gratia nos prosecutus fuisset." l. c. qu. 392. „Cedo etiam, qui haec opinio est perniciosa? Ad eum modum, quod hominibus fenestram ad peccandi licentiam aperiat, aut certe ad socordiam inpietate colendam eos invitet. Scriptura vero testatur, eum inter alios etiam Christi mortis finem esse, ut redimeremur ab omni iniquitate, ex hoc seculo nequaquam eriperemur et redimeremur ex vana conversatione a patribus tradita et mundaremur conscientia a mortuis operibus ad serviendum Deo viventi." l. c. qu. 393. „Quid vero de hac reconciliatione sentis? Christum Iesum nobis, qui propter peccata nostra Dei inimici eramus, et ab eo abalienati, viam ostendisse, quemadmodum nos ad Deum converti atque ad eum modum ei reconciliari oporteat." Qu. 408. In locum hunc copiosius inquisivere Ziegler l. c. p. 225 et Bengel l. c. XVI. 122. sqq.

§. 105.

Omnia a Christo ad salutem hominis patrata triplici munere, prophetico, sacerdotali, regio contineri docent. Propheticum absolvitur voluntatis divinae manifestatione, cuius capita duo sunt: praecepta et promissa. Huc praesertim pertinet salutaris Christi mors praeclara propter resurrectionem et exaltationem, illi succedentem. Iuxta sacerdotale officium Christus se Deo non in cruce, sed in coelo obtulit, quod quidem a regio eius munere vix differre aiunt. Ita quidem cuncta, quae Christus his in terris ad hominis recuperandam salutem fecit, ad legislatoriam vim ac virtutem rediguntur, in qua, quod novas quasdam addiderit leges veteribus, tanquam summum eius meritum praedicatur.

F. Soc. Praelectt. theol. c. 19. 23. p. 575. seqq. De Christi seru. I. c. 3. 5. p. 128. Breviss. inst. p. 664. Valent. Smalc. de Divinit. I. C. c. 5. seqq. p. 16. seq. Volkel de vera relig. l. III. c. 10. seqq. 21. Catech. Racov. quaest. 383. et quae sequ. qu. 476 seqq. „Itaque ut ad rem redeam, satis ex praedictis constat, Christum seipsum non in cruce, sed in ipso coelo Deo obtulisse. Quod etiam abunde hac re confirmatur, quod Christus sacerdos plane inauguratus non fuit, nisi post mortem suam, imo post suum in coelum ascensum." F. Soc. de Iesu Chr. Filii Dei Nat. et Essent. p. 103. „Das Ampt I. C. ist, das uns Gottes willen von der ewigen Seligkeit, welche uns soll gegeben werden, geoffenbaret hat und denselben zu seinem ausgange und ende bringet: in welchen beiden dingen bestehet und begriffen wird, das er unser Heiland ist oder Seligmacher: denn dieser einzige name begreift in sich das ganze ampt Christi. Derhalben hat das ampt Christi vornehmlich zwei theile, sintemal es erstlich betrifft die offenbarung göttliches willens: umb welches willen Christus in h. Schrift ein Prophet genennet wird: zum andern be-

trifft es die Verwaltung göttliches willens, um welches willen er denn in derselben h. Schrift ein König u. Herr genennet ist" Osterod Vnterrichtung, c. 20. p. 135. seqq. c. 40. cfr. Bengel l. c. XVI. p. 122. seqq.

§. 106.

Vt in omni loco de iustificatione, ita in illo quoque, qui de fide iustificante est, orthodoxae doctrinae vehementer repugnant Sociniani. Iustificationem actum quidem Dei dicunt, quo a peccatorum reatu soluti et iusti declaremur; verum quae ex hominis parte requiritur fides nequaquam meriti Christi apprehensio et applicatio est, sed opus humanum, quo et confidentes Deo ac Christo et obtemperantes non solum iis, quae Moses praecepit, sed etiam legibus illis, quas Christus addidit, Deo grati acceptique evadamus. Ita quidem, quamvis hominis vitam ac virtutem non meritoriam caussam iustificationis dicant, tamen omnia ad salutem spectantia in potestate hominis sita esse, denique virtutem non regenerationis fructum, sed antecedentem conditionem opinantur: quod quantopere rectae sanaeque christianae doctrinae repugnet, per se liquet.

„Quoniam vero persuasione ista et obedientia ea fides in Deum continetur, qua sacrae literae hominem coram Deo iustificari testantur, iam satis ex praedictis constare potest, quaenam in ipso homine huius fidei sit causa et fundamentum, nempe recta faciendi et prava vitandi amor ac studium." F. Soc. De iustific. l. c. p. 627. Catech. Rac. de fide qu. 415. seqq. „Fides ergo in Christum, qua iustificamur, quamvis obedientiam, quam spe futuri boni, quod is nobis daturus sit, Deo praestamus, et complectatur

et significet atque idcirco opus omnino declaret, operibus tamen propterea merito opponitur, quia nec perpetuam et absolutissimam praeceptorum Dei conservationem ipsa per se continet, nec propria vi iustificat, sed propter Dei clementiam, qui eiusmodi opus facientibus, quod ob eam rem Dei opus a Christo appellatum est, iustitiam, quantumvis antea iniustis imputare dignatus est et ipsos pro iustis coram se haberet pro incomparabili sua benignitate voluit. Mirum est autem, Theologos vestros omnino vele propterea, quod Christum morte sua peccata nostra delevisse credamus, vos iustos coram Deo constitui: et interim, ut id obedientia, quam ex Christi praescripto Deo praestemus, fieri possit, dicere penitus horrere. Quasi vero maior dignitas in ista fide quam in hac obedientia reperiatur. Annon dicunt ipsi, fidem istam, non quidem propria dignitate, sed quia ipsum Deum apprehendat, iustificare? cur igitur haec quoque obedientia, non quidem propria dignitate, sed quia Dei misericordiam apprehendat, iustificare non poterit? Praesertim cum ista vestra Christi apprehensio, ut exiis, quae a nobis supra disputata sunt, liquere potest, merum humanum commentum et inanissimum somnium sit; misericordiae vero divinae apprehensio et omnibus divinis oraculis sit consentanea et solidissimum nostrae iustitiae fundamentum et caussa censeri debeat." F. Soc. de I. C. Seru. l. IV. c. 11. „Solt man aus den werken, wie durch ein verdienst gerecht werden, so müſste man nie im allergeringsten das gesez übertreten. Weil das aber nicht geschiehet, so kann man durch die werke des gesezes nicht gerecht werden. Derhalben hat uns Gott nach seiner groſsen Barmherzigkeit einen andern weg, für ihm gerecht zu werden, gezeiget, nehmlich den glauben an Iesum Christum, das ist, den gehorsam der Gebote Christi unter der Hofnung das ewige Leben zu erlangen, um welches gehorsams willen ein jeglicher, der ihn hat, ob er schon etwan ein sünder und Gottes feind gewesen ist, Gott dennoch lieb und angenehm ist und aller seiner Sünden Vergebung erlangen wird." Osterod. Vnterr. c. 36. p. 303. seqq.

CAP. 7.

DE SACRAMENTIS.

§. 107.

Secundum illa, quae Sociniani sentiunt de mysteriis christianae religionis, de iustificatione, de gratia, non possunt illis ritibus, qui apud omnes orthodoxas ecclesias pro ritibus sacris a Christo institutis ac veris sacramentis et gratiae mediis habentur, non eandem fidem adiungere, quae ceremoniis externis atque mere humanis adiungi solet. Spiritualem enim religionem christianam et carere omnibus externis ritibus, quibus abundabat mosaica, commode posse ac debere docent. Quare in Sacramentis quoque, quae vocantur, non, quid sint per se, aut tanquam gratiae media, aut omnino quid faciat Deus, sed quid nobis ipsis in eorum celebratione faciendum sit, maxime spectandum esse credunt.

„De spe ac fide in venturum Christum, qua praediti fuerint patres illi sub vet. Test. ita, ut in suis sacrificiis ad illum respexerint, nihil aliud in praesentia dico, nisi me nullo modo diffiteri, Christum ibi adumbratum fuisse. Sed nego hoc illos intellexisse, quod nobis demum patefaciendum erat, ut coelestis atque aeternae veritatis et lucis confirmationem ex antecedentibus figuris et umbris haberemus, sub quibus veteres illi omnes conclusi erant usque ad correctionis tempus, ut loquitur Apostolus Ebr. 9, 10." F. Soc. ep. 3. ad Radecium. p. 137. „Quae vero proprietas est noui foederis? „Ea, quod plane spirituale sit, neque in ullis rebus externis, verum in interioribus sit positum. Porro ritus exteriores, vulgo ceremoniae vocatae, spirituales non sunt, quippe cum exteriorem faciem respiciant etc." Cat. Rac. qu. 202. „Quomodo enim confirmare potest nos in fide id, quod nos ipsi facimus, quodque licet a Domino institutum, opus tamen nostrum est, nihil prorsus miri

in se continens aut prae se ferens, nihil denique habens, quod quicquam eorum verum esse nobis ostendat vel suadeat, ex quibus fides nostra confirmetur." F. Soc. ad coenae Dom. finem et usum recte percipiendum brevis introductio, in Opp. I. p. 753.

§. 108.

Baptismum eo tempore, quo a Christo institutus usuque receptus sit, initiationis ritum fuisse statuunt, quo homines cognita et probata Christi doctrina ecclesiae insererentur. Neque tamen ita praeceptum caerimoniale esse eum, uti sacram coenam, quando quidem hunc ritum Christus non semper et ab omnibus servandum instituerit, neque immersionem in aquam esse, nec necessarium ad salutem, nec ad infantes pertinere volunt. Quamvis autem Socinus velit baptismum pro adumbratione remissionis peccatorum agnoscere, tamen ad regenerationem hominis nihil facere docet. Quae omnia Socini placita ab ipsis Vnitariis in Polonia, qui Anabaptistarum errore tenebantur, primum male accipiebantur.

F. Soc. de Baptismo aquae disp. in Opp. I. p. 709 seqq. „Consulendum enim fuit populorum ruditati in ipsis externis ritibus educatorum e iam plane consenescentium. Cum igitur eo tempore aliquis externus ritus ad eos initiandos, qui ad Christum convertebantur, adhibendus esset, nullus decentior videri potuit, quam is, qui non modo nouitatem illam vitae Christianorum propriam ac peccatorum per Dei gratiam condonationem atque abstersionem repraesentaret (ut sic dixerim) et paene ob oculos poneret, verum etiam in Dei populo iam receptus et frequenti usu comprobatus fuisset. l. c. p. 720. „Quae vero sunt praecepta Domini Iesu, ut vulgo vocant, ceremonialia? Est unum duntaxat, coena nempe Domini." Catech. Rac. qu. 333. „Quid vero sentis de aquae baptismo? Id,

quod sit ritus exterior, quo homines vel e Iudaismo vel e Gentilismo ad religionem christianam accedentes manifeste profitebantur, se Christum pro Domino agnoscere." l. c. qu. 346. „Num ergo ad eum ritum infantes pertinent? Nullo pacto. Nam nec in scripturis ullum mandatum aut exemplum ea de re habemus, neque ipsi, ut res ipsa indicat, Christum pro suo seruatoro agnoscere per aetatem possunt." l. c. qu. 347. „Quid vero ea de re statuis, quod sint, qui putent se hoc ritu regenerari? Falluntur vehementer eiusmodi. Etenim regeneratio nihil aliud est, quam rationis et voluntatis nostrae transformatio et ad Christi conseruatoris nostri doctrinam compositio etc." l. c. qu. 348. „Nos verum esse negamus, omnes per aeque, qui Christi discipuli iuro appellari velint, aquae baptismo indigere." Soc. de baptismo aquae l. c. p. 718. „De aquae baptismo ego ita sentio, eum ecclesiae in perpetuum praescriptum non fuisse, nec unquam, ut illum acciperent, iis praeceptum neque a Christo neque ab Apostolis fuisse; qui iam ipsi Christo alia quacunque ratione publice nomen dedissent, vel a primis annis in christiana disciplina educati atque instituti essent. — Dico aquae baptismum ad ecclesiam externam hoc tempore instaurandam, meo iudicio nihil pertinere remque indifferentem esse atque idcirco non esse, quod de eo quidquam in hoc proposito explicatius dicam." F. Soc. ep. 3. in Opp. I. p. 383. ad Radec. p. 127." — „Cum aquae baptismus in Iesu Christi videlicet nomine ministratus nihil aliud sit, quum adumbratio remissionis peccatorum in nomine Christi eiusque nominis aperta professio atque in ipsius religionem initiatio quaedam i. e. per eum nihil re vera detur, sed tantummodo eorum, quae vel iam data esse vel datum iri certissimum est, externa quaedam agnitio significetur." l. c. p. 384. Cfr. Volkel de vera relig. l. VI. c. 14. Osterod Vnterr. c. 39. p. 346.

§. 109.

Coenae sacrae nihil inesse per se divini arbitrantur; praesentiam Christi et realem et spiritualem prorsus negant; nudam commemorationem charitatis et beneficiorum Christi volunt esse eucharistiam. Quapropter quum ad gratias agendas Deo et Christo instituta sit, haud ita utendum sacra coena

est,

est, quasi aliquid illic sumamus. Ita quidem hac de re opiniones cum Catholicorum, tum Lutheranorum et Reformatorum tanquam fallaces et erroneae rejiciuntur.

F. Soc. de coena domini tractatus breuis una, cum eiusdem adversus scriptum Domini Iohannis Nicmoievii Defensione; adiuncta sunt praeterea alia quaedam eiusdem auctoris de hoc argumento. Opp. I. p. 753 seqq. „Denique in coena Domini nihil ex ipsius domini instituto praeter panem et vinum ex ipsa coena accipimus, sed iam accepta commemoramus, deque iis gratias agimus." l. c. p. 753. „Christus Dominus mortis violentae, quam pro nobis subiit, commemorationem et praedicationem (id quod nobis ipsis inutile esse nullo modo potest) in sua ecclesia solenni quodam ritu ad gloriam nominis sui fieri voluit." l. c. p. 771. „Quid vero est coena domini? Est Christi Domini institutum, ut fideles ipsius panem frangant et comedant et ex calice bibant, mortis ipsius annunciandae caussa. Quod permanere in adventum ipsius oportet." Cat. Rac. qu. 334. „Quid vero est annunciare mortem Domini? Est publice et sacrosancte Christo gratias agere, quod is, pro ineffabili sua erga nos charitate corpus suum torqueri et quodammodo frangi et sanguinem suum fundi passus sit, et hoc ipsius beneficium laudibus tollere et celebrare." l. c. qu. 335. „Nonne alia caussa, ob quam coenam instituit Dominus, superest? Nulla prorsus. Etsi homines multas excogitarint. Cum alii dicant, esse sacrificium pro vivis et mortuis. Alii usu ipsius se consequi peccatorum remissionem et firmare fidem sperant et quod eis mortem Domini in mentem revocet, affirment." l. c. qu. 337. „Quae vero sententia illorum verborum: hoc est corpus meum? Non uno eodemque modo ab omnibus accipiuntur. Etenim alii censent, panem in corpus, vinum in sanguinem re ipsa mutari, quod illi transsubstantiationem vocant: alii corpus Domini in pane, sub pane, cum pane esse sentiunt. Sunt denique, qui in coena Domini vere corporis et sanguinis Domini participes existere se autumant, spiritualiter tamen; quae opiniones sunt omnes fallaces et erroneae." l. c. qu. 340. Cfr. Volkel de vera relig. l. IV. c. 22. Osterod l. c. c. 38. Ziegler l. c. p. 268. seqq. Bengel l. c. XVI. p. 112. seqq.

CAP. 8.

TOTIUS CAUSSAE EPICRISIS.

§. 110.

Quaeritur denique, quaenam sit Socinianismi ad Protestantismum universalis ratio? Ac dubio carere videtur, Socinianos Protestantibus nullo modo adnumerandos esse; cuius sententiae rationes fere hae sunt. Repudiant symbola oecumenica (apostolicum enim suo sensui et iudicio accommodant); nullius praeterea symboli vinculum Protestantibus intercedit cum illis; Protestantium symbolis declarata alia doctrina est cum Socinianorum sententiis nulla fere parte conveniens; illis ipsis damnantur Sociniani; pace denique Osnabrugensi Lutherani et Reformati soli Protestantes appellati sunt, reliqui ex euangelicorum numero exclusi. Quod autem ratione utuntur in formanda sibi theologia christiana, nullo modo Protestantismi indicium est, imo, quod rationem tanquam fontem ac normam fidei agnoscunt eamque sacrorum librorum auctoritati praeferunt, satis probat, quam longe distent a Protestantismi natura et indole. Et ut sunt, qui, quamvis vita et moribus hoc nomine prorsus indigni, tamen christiani appellentur, ita etiam respectu fidei et theologiae habito, Socinianis Christianorum nomen denegari non potest.

Cfr. Stange theol. Symmicta III. p. 167. seqq.

DOCTRINA
ECCLESIAE ORIENTALIS
ET
OCCIDENTALIS.

DOCTRINA
ECCLESIAE ORIENTALIS
ET
OCCIDENTALIS.

CAP. I.

DE ECCLESIAE GRAECAE RECENTIORIS AD OCCIDENTALEM RATIONE.

§. III.

Ex quo religio christiana in Occidente ad animos hominum sibi viam paraverat, cum gentium indole, tum latinae ecclesiae ingenio et lingua magis magisque discrimen inter hanc et graecam ecclesiam stabilitum est. Accessere simultates et rixae nonnul-

lae de dogmatis inde fere a Sec. II. et Patriarcharum Romani et Constantinopolitani inter se de priuilegiis et iurisdictionis limitibus acerbiora dissidia. Sec. tandem IX. graves ortae, sunt lites inter Photium Patriarcham Constantinopolitanum et Nicolaum Romanum pontificem; graviores denique inde a Sec. XI. quo Michael Caerularius, patriarcha Constantinopolitanus, Latinos defectionis ab ecclesia vera accusabat publice. Ita quidem fundamentum schismatis, quod ad nostra usque tempora pervenit, iactum est, ita, ut Concilium Florentinum a. 1438. concordiam restituere frustra conaretur.

Leonis Allatii de Ecclesiae occidentalis atque orientalis perpetua consensione libri tres. Eiusdem dissertationes de dominicis et hebdomadibus Graecorum et de Missa Praesanctificatorum. Cum Bartholdi Nihusii ad hanc Annotatt. de communione Orientalium sub specie una. Colon. Agripp. 1648. 4. Histoire de l'eglise grecque et de l'église Armenienne, par Msr. le chevalier Ricaut, trad. de l'Anglois par Msr. de Rosemond, sec. ed. à Amst. 1710. 12. Ioh. Mich. Heineccii eigentl. und wahrhaftige Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirche, nach ihrer Historie, Glaubenslehren und Kirchen-Gebräuchen. Leipz. 1711. 4. P. I. 1 — 237.

§. 112.

Ipsa vero ecclesia orientalis dispescitur in orthodoxam et schismaticam. Illa est, quae septem concilia oecumenica sequitur, aut plurimis Patriarchis subdita, quorum primarius Constantinopolitanus est, aut Synodo S. S. dirigenti, quae per universum Rus-

sorum imperium ecclesiae regimen tenet. Russi enim Sec. X. christianam religionem professi per sacerdotes graecos edocebantur et ecclesiae graecae inserebantur, cuius antistes Constantinopolitanus praesul erat. Inde etiam post secessionem ab hoc factam ritus et dogmata Orientalium servabant. Ad haereticos denique sive schismaticos pertinent Nestoriani, Monophysitae et Raskolnicci. Praeterea Graeci haud pauci cum ecclesia Romana coniuncti sunt, proptereaque uniti appellantur.

Thom. Smith de graecae ecclesiae hodierno statu Epist. Traj. ad Rhen. 1698. 8. Mich. le Quien Oriens christianus. 3 Voll. Par. 1740. fol. Alex. Helladii Status praesens eccl. graec. etc. 1714. 4. Elsner neueste Beschreibung der griech. Christen in der Türkey, aus der Erzählung des Archimandriten Athanasius Dorostamus. Berlin 1737. 8. Ej. Fortsetzung der Beschr. d. gr. Chr. in der Türkey. 1747. John Covel some account of the present greek church, whith reflexions on their present doctrine and discipline. Cambridge. 1722. fol. Assemani Bibl. Orientalis Clementino Vaticana. IV. Tomi fol. Stäudlin kirchl. Geographie und Statistik, I. p. 39. seqq. II. p. 586. seqq. Tzschirner Fortsetzung von Schröckhs christl. Kirchengesch. IX. p. 1 — 255.

CAP. 2.

DE SYMBOLIS ORTHODOXAE ECCLESIAE GRAECAE AC FONTIBUS COGNOSCENDAE DOCTRINAE.

§. 113.

Quum quae sit Ecclesiae graecae doctrina, quatenus discedat ab ecclesia Romana et Protestantium, addiscendum sit potissime; in numerum symbolorum decreta Conciliorum septem oecumenicorum, quorum ab utraque parte auctoritas admittitur, excepto Nicaneo II. quod a Protestantibus reiicitur, referenda non videntur. Primum igitur locum tenent: I. Confessio Gennadii, Patriarchae Constantinopolitani, quam expugnata Constantinopoli totius ecclesiae graecae nomine Mahomedi II. exhibuit. II. Scripta Hieremiae II. Patriarchae Constantinopolitani ad theologos Tubingenses, quibus dissensiones ab Aug. Conf. declarantur. III. Confessio ecclesiae orthodoxae, auctore Petro Mogila, Metropolitano Kiowiensi, contra Cyrillum Lucarem conscripta, cuius confessio fidei nimium sapiebat Reformatorum doctrinam. IV. Metrophanis Critopuli confessio, quae quamquam auctoritate publica caret, tamen Graecorum doctrinam copiose docteque exponit.

Gennadii Conf. edita est a Martino Crusio in Turcograecia l. II. p. 117. seqq. a Dan. Chytraeo, qui orationem addidit de statu ecclesiarum hoc tempore in Graecia, Asia, Bohemia. p. 173. Heineccii Abbildung P. I. c. 4. p. 232. — Acta et scripta Theologorum

Wirtembergensium et Patriarchae Cplitani D. Hieremiae, quae utrique ab a. 1576 usque ad a. 1581. de Augustana confessione inter se miserunt. Graece et Latine ab eidem theologis edita. Wirtemb. 1584. fol. p. 54. V. Pfaff. de actis scriptisque publ. eccles. Wirtembergicae p. 50. Salig vollständ. Hist. der Augsb. Conf. l. 4. c. 1. p. 701. Em. a Schelstraten Acta Eccles. Orient. contra Lutheri haeresin. Romae. 1739. fol. — Confessio Ecclesiae graecae orthodoxae a Petro Mogila composita, a Meleto Syrigo, Cretensi, aucta et mutata, deinde a. 1643. a quatuor Patriarchis, Cptano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano, aliisque episcopis a. 1662. a. Nectario Hierosolymiorum Patriarcha, et a. 1672. a Synodo Hierosolymitana approbata est. Edita est a Panagiotta graece, cum praefat. Nectarii, Amst. 1662. deinde lucem aspexit liber graece una cum lat. vers. Laurentii Normanni. Lips. 1695. 8. graece, latine et germanice coniunctim studio Io. Leonh. Frischii praemissa historia huius ὁμολογιας a Car. Gottl. Hofmanno, inscriptus: Ορθοδοξος Ὁμολογια της καθολικης και αποστολικης εκκλησιας της ανατολικης. Wratisl. 1751. 8. Cfr. Bergii exercitatt. de statu eccles et relig. moscovit. p. 13. Feuerlin de relig. Ruthen. hodierna. p. 13. Cyrilli Lucaris confessio a. 1629. conscripta legitur in Aymon Monumens authentiques de la religion des Grecs. à la Haye 1708. 4. p. 237. seqq. et in Corp. et Syntagm. P. III. p. 56 — 63. — Critopuli Confessio edita graece et latine est a Io. Hornejo. Helmst. 1661. cum praefat. Herm. Conringii, in qua de eccles. orient. et rom. dissensu contra Leonem Allatium erudite disputatur. V. Köcher Bibl. theol. symb. et catechet. p. 53. seqq.

§. 114.

Praeterea vero nonnullae doctrinae graecae partes cognosci possunt ex decretis conciliorum, contra doctrinam Reformatorum habitorum; quo pertinet hierosolymitanum a. 1672. a Dositheo coactum; constantinopolitanum a. 1691. a Callinico institutum. Ex scriptis denique theologorum

huius ecclesiae et Romanae ac Lutheranorum et Reformatorum non solum doctrina, verum etiam rituum ac caerimoniarum, quibus abundat, nimia copia et superstitionis, qua foedata est, facies perspici potest.

Synodus Bethlehemitica. Par. 1676. etiam sub titulo: Syn. Hierosolymitana. Par. 1675. in Harduini Concc. T. XI. p. 179. seqq. Synodi Cptanae acta germ. vertit Heineccius in ej. Abbildung app. p. 40. seqq. Cod. Actorum MSS. descripsit de Matthaei in Accurata Codd. graec. msc. Bibliothecarum Mosquensium sanctae Syn. Notitia et Recensione I. p. 144. seqq. — Theocleti Polyidis sacra tuba fidei 1736. 4. quae theologiae graecae expositio est. V. Acta Hist. Eccles. T. IX. p. 179. Christoduli, Protopapae Corcyrensis, Catechesis sacra, sive sacrae diuinaeque liturgiae explicatio et examen Ordinandorum a. 1760 — 1772. composita, lat. versio in le Bret Magazin für Staaten- und Kirchen-Gesch. II. p. 541. seqq. Dionysii, Patriarchae Cplitani super Calvinistarum erroribus ac reali imprimis praesentia responsio a. 1672. in Hard. Concc. XI. p. 274. Christianae orthodoxae theologiae in Academia Kioviensi a Theophane Procopowicz, eiusdem Academiae Rectore, postea Archiepiscopo Nowogradiensi, adornatae et propositae T. I. Regiom. 177e. et Tom. VII. Moscuae. 1776. Platon rechtgläubige Lehre oder kurzer Auszug der christl. Theol. zum Gebrauch Sr. Kaiserl. Hoheit des Groſsfürsten Paul Petrowitsch. Riga 1770. Petersb. 1776. lat. Moscuae. 1774. Ej. von der rechtgläubigen kathol. oriental. Kirche Christi Ermahnung an ihre ehemaligen Kinder, die nunmehr an der Seuche der Trennung darnieder liegen. 1776. Theophylacti Dogmata christianae orthodoxae religionis. Moscuae 1773. germ. vert. Io. Gottf. Reichel: Grundlehre der christl. orthodoxen Religion. Moscau 1773. 8. — Euseb. Renaudot Liturgiarum Orientall. Collecto. Par. 1716. 4. Quirini Card. Enchiridion graecorum, quod de illorum dogmatibus et ritibus Romanorum pontificum decreta complectitur. Beneventi 1717. 4. Hist. critique de la creance et des coûtumes des nations du Levant publié par le Sr. de Moni (Richard Simon) à Francf. 1684. 12. Idem liber postea inscriptus est: Hist. crit. des Dogmes, des controverses, des coûtumes et des

ceremonies des chretiens Orientaux, par R. Simon, ci-devant Prêtre de l'Oratoire. à Trevoux 1711. 12. John Glen King The rites and ceremonies of the greck church in Russia. Lond. 1772. 8. germ. vert. Klausing. Riga 1773. Bellermann kurzer Abrifs der Russischen Kirche nach ihrer Gesch., Glaubenslehre und Kirchengebräuchen. Erf. 1788. 8. Meiners Vergleichung des älteren und neueren Rufslands. Th. II. p. 341. seqq. Cfr. etiam Seltene christ-fürstl. Gewissenhaftigkeit; Actenstücke zur Gesch. der Vermählung einer herzogl. coburg. Princessin mit dem Kaiserl. russis. Grofsfürsten Constantin und ihres Vebergangs zur griech. Kirche, in Henke Beitr. zur neuesten Gesch. der Relig. des Kirchenwesens und der öffentl. Erziehung. II. p. I. seqq.

CAP. 3.

DE DISSENSU.

§. 115.

Ecclesia graeca in eo primum discedit a Protestantibus, convenit cum Catholicis, quod sacram scripturam non solum fidei christianae cognoscendae principium ac fontem esse statuit, sed traditiones etiam illi annectit et concilia, quorum tamen in numero septenario acquiescit. Deinde ecclesiam visibilem, repraesentativam, infallibilem esse docet, cuius etiam externus status a Deo per Christum ordinatus sit. Qua tamen in re valde dissentiunt Graeci a Latinizantibus et unitis; nequaquam enim illi Monarchiam esse putant Ecclesiam nec

summmi pontificis iugum sibi imponi unquam passi sunt.

„Articuli fidei auctoritatem adprobationemque suam partim sacrae scripturae, partim traditioni ecclesiasticae atque doctrinae conciliorum sanctorumque patrum acceptam referunt.“ Orth. conf. I. qu. 4. p. 22. et Metroph. Critop. Conf. c. 7. p. 85. De patrum auctoritate v. Acta Wirtemb. p. 260. 114. De Ecclesia Orth. conf. qu. 82—87. De Papa v. Metroph. Critop. conf. c. 23. p. 158. Contrarium docet Leo Allatius de perpet. consens., contra quem disputant Rich. Simon, Hist. crit. de la creance etc. c. 1. p. 17. et Spanhemius Diss. de eccl. graecae et orientalis a romana et papali in hunc diem perpetua dissensione. Opp. T. II. p. 885. Buddeus de eccl. rom. cum ruthenica irreconciliabili §. 17.

§. 116.

Omnem de Deo doctrinam sive theologiam ecclesia graeca communem habet cum latina nec ulla in illa dissensio, nisi in uno, quod est de processione Spiritus S., capite. Eum enim a solo Patre procedere docet eosque, qui verba illa: *et ex filio* addidere symbolo Constantinopolitano, gravi perstringit censura. Sunt tamen nonnulli, qui Sp. S. procedere a patre per filium doceant. Omnis haec doctrina destituta idoneo fundamento est meraque pertinacia tenetur, nec recta aptaque simul methodo et via theologica ab illis demonstratur.

„Satis nunc nobis est, ut firma fide teneamus credamusque, quod ipse nos Christus docuit, quod orientalis catholica et orthodoxa credit ecclesia, et in secundo oecumenico concilio communiter professa fuit atque symbolum sine isthac appendicula: *et ex filio*, ratum esse iussit.“ Orth. conf. qu. 71. p. 129. Acta Wirtemb. p. 57. 200. Metroph. Critop. Conf. c. 1. p. 11.

sqq. Sp. S. procedere a patre per filium docet Iohannes Damascenus, de fide orth. Opp. I. l. I. c. 8. 12. p. 141. 148. Buddei diss. de eccl. rom. cum ruth. irreconc. §. 21. Io. Georg. Walchii hist. controversiae graecorum et latinorum de processione Spiritus sancti. Ien. 1751. 4. Procopowicz Christ. orthod. theol. Tom. IV. qui Tractatum de processione Sp. S. continet. Gothae 1772. 8. Tract. theol. orth. de processione Sp. S. a solo patre, auct. Adamo Zoernicav. a. 1682. Regiom. 2. Voll. 1774—1776.

§. 117.

Quum inde a primis ecclesiae graecae initiis de hominis viribus et gratia divina mitius sentire Patres graeci consuevissent nec dissidiorum, quae inter Augustinum et Pelagium olim obtinuere, fructus aliquos ecclesia graeca cepisset, factum est, ut in articulis de peccato originali, de libero arbitrio, de fide et gratia ac bonis operibus prorsus assentiret Catholicorum doctrinae. Hinc cum iisdem ecclesia graeca bonorum operum v. c. jeiuniorum mira superstitione laborat.

Orth. conf. Qu. 24 sqq. Metroph. Crit. conf. c. 2. p. 45 sqq. Acta Wirtemb. p. 63. 113 sqq. Cfr. contra Cyrilli Luc. Conf. c. 9. De jejuniis v. Orth. Conf. qu. 88. p. 151. Conf. Smith. de eccles. gr. hod. statu p. 38 sqq. Helladius de statu praes. eccles. gr. c. 9. p. 169.

§. 118.

Septem esse sacramenta (μυστηρια) docet ecclesia graeca: Baptismum, Chrisma sancti unguenti, eucharistiam, manus impositionem, matrimonium, poenitentiam et sacrum oleum; baptisma tamen, sacram coe-

nam ac poenitentiam sacramenta altioris dignitatis et ordinis, reliqua tantum ὁμωνύμως ita appellata. Et baptismum trinis immersionibus fieri debere ac recens baptizatum a sacerdote oleo unguendum, antiquissimi ritus postulare observationem censet. Sacerdotibus, ordinis sacramento a laicis seiunctis, nisi castitatis votum dederint, coniugium permittit, nuptias secundas non concedit.

Acta Wirtemb. p. 86. 240. Conf. orth. qu. 98. p. 163 sqq. Metroph. Critop. Conf. c. 5. p. 72 sqq. Leon. Allat. de perp. cons. l. III. c. 16. De baptismo v. Acta p. 63. 238. Metroph. Critop. c. 8. p. 86. De unguendo baptizato Orth. Conf. l. I. qu. 104 sqq. Acta p. 77 sqq. De clericorum coniugio Acta p. 129. Metroph. Crit. c. II. p. 111. De poenitentia et peccatorum confessione vid. Orth. Conf. qu. 112. p. 187 sqq. Acta p. 86. Metroph. Critop. c. 10. p. 105. Leo Allat. de perp. cons. l. III. c. 17. De unctione aegrotorum Acta p. 81. 241. Metroph. Critop. Conf c. 13. Orth. conf. qu. 117. 118. 119.

§. 119.

Coenam sacram docent, primum, sub utraque specie esse administrandam, deinde, panem fermentatum adhibendum, porro, vinum aqua temperandum ac coniunctim cum pane communicandum, tunc, infantibus quoque administrandam coenam Domini, tandem, consecrationem invocatione ad Sp. S. fieri debere; denique et eucharistiae sacrificium et transsubstantiationis prodigium profitentur, quod postmodum a romana ecclesia in graecam invectam esse, haud sine ratione censent nonnulli.

De communione sub utraque specie v. Orth. conf. qu. 107. p. 178. Metroph. Critop. c. 9. p. 98. Acta p. 129. De pane fermentato Orth. conf. l. c. p. 175. Metroph. Crit. c. 9. p. 90. Acta p. 86. Io. Godofr. Hermanni Hist. concertationis de pane azymo et fermentato in coena Domini. Lips. 1737. Smith de gr. ecclesiae hod. statu, p. 102. De cramate Orth. conf. l. c. p. 175. Metroph. Crit. l. c. De infantum communione Orth. conf. l. c. Metroph. Crit. l. c. Acta l. c. Rich. Simon Hist. de la creance, ch. 1. p. 14. De epiclesi Orth. conf. l. c. p. 176. Benedicti XIV. Opp. T. IX. l. II. p. 162 sqq. De sacrificio Acta p. 104. Conf. Orth. p. 179 sqq. De transsubstantiatione Orth. conf. l. c. p. 176. Acta p. 86. 97. 100. 210 sqq. Metroph. Critop. c. 9. p. 100. Nicolai Spadarii Enchiridion sive Stella Orientalis i. e. sensus eccles. oriental. scilicet graecae de transsubstantiatione corp. Dom. aliisque controversiis in Recueil contenant divers actes, qui font voir la creance des églises orientaux p. 50—54. vid. la perpetuité de la foi de l'église cathol. touchant l'eucharistie. T. 1. p. 300 sqq. Rich. Simon l. c. ch. 2. p. 41. Spanhem, de eccles. gr. a rom. dissensu. Opp. II. P. V. p. 539 Smith de eccles. gr. statu hod. p. 119. Kiefsling Hist. concertationis Graecorum Latinorumque de transsubst. in S. Eucharistiae sacramento. Lips. 1754. 8. Walch Einl. in die Rel. Str. aufser der luth. K. II. p. 451 sqq.

§. 120.


Purgatorium nullum esse arbitrantur Graeci, tamen medium aliquem statum, ex quo trahi animae bonis operibus viventium queant ac debeant. Sanctos esse invocandos eorumque imagines pia mente colendas, iuxta decreta synodi Nicaenae II. constanter docetur ac creditur. Quae omnia non postremam partem religionis ducunt, sed summa gravitate observant, eaque plerumque praesertim apud rudem populum turpissima superstitione inquinata sunt.

De Purgatorio v. Orth. conf. qu. 66. Metroph. Crit. c. 20. p. 149. Zialowski delineatio eccles. orient. gr. p. 130. quibus acriter repugnat Leo Allatius de utriusque eccles. occid. et orient. perpetua in dogmate de Purgatorio consensione. Contra eum disputant Rich. Simon Hist. crit. p. 20. Spanhemius l. c. p. 5.6. Dickmann exercitatio hist. theol. de ecclesiar orient. et lat. in dogm. de purgatorio dissensione, contra Leon. Allat. et Abraham Echellensem. 1671. 4 Medium statum docet Metroph. Crit. l. c. p. 147. Conf. Orth. l. c. et qu. 64. De sanctis et imaginibus Metroph. Crit. c. 17. Acta p. 109 sqq. 127 sqq. 242 sqq. Conf. orth. qu. 40 sqq. Heineccii Abbild. II. p. 296. III. 18. De superstition videatur Voltaire Hist. de Charles XII. Vol. I. Chardin voyage en Perse p. 191. Thornton Esqu. Schilderung des türk. Reichs. Aus dem Engl. übers. von Hermann. Hamb. 1808. p. 118. aliosque bene multos.

DOC-

DOCTRINA

MINORUM SOCIETATUM CHRISTIANARUM.



DOCTRINA MINORUM SOCIETATUM CHRISTIANARUM.

CAP. I.

DE UNITATE FRATRUM SIVE DE HERRNHUTHIANIS.

§. 121.

Veteres Bohemi, a Graecis conversi ad christianam religionem, ob odium erga superstitiones Papatus insignes, propptereaque acerbioribus persecutionibus expositi, restaurationis ecclesiasticae tempore veterem fidem disciplinamque retinentes, magna ex parte Augustanam Confessionem amplectebantur. Nouis deinde tempestatibus ortis, edicto a. 1627. edito eiecti e patria haud pauci in finibus Saxoniae et Lusatiae snbsistebant et ad Lutheranorum et Reformatorum coetus admitti solebant. Post varia denique fata et exstincto fere penitus Vnitatis statu et nomine nonnulli exules Bohemi et Moravi a. 1722. in finibus Lusatiae a fundi domino, Comite de Zinzendorf, cui simplicitas pie-

tasque horum hominum mire placebat, in vico, cui nomen Herrnhuth inditum est, impetrabant, ut et habitare et suo more sacra instituere possent. Quae quidem societas mirum in modum aucta, Zinzendorfio suasore et auctore, communi doctrinae, pietatis, vitae ac disciplinae genere conjuncta, missis per universum fere orbem legatis ecclesias collegit et ad nostra usque tempora vario successu floruit.

Io. Amos Comenii, eccles. ff. boh. episcopi Historia fratrum bohemorum, eorum ordo et disciplina ecclesiastica etc. Praem. est praef. Io. Franc. Buddei de instauranda disciplina ecclesiastica. Hal. 1702. 4. Io. Lusitii, Nob. Pol. de ecclesiastica disciplina, moribusque et institutis Fratrum Bohemorum memorabilia continens; cum admonitionibus ad reliquias istius ecclesiae et alios Io. Am. Comenii. Amst. 1640. 8. Dav. Cranz alte und neue Brüderhistorie. Barby 1771. 8. continuatio usque ad a. 1782. auct. I. K. Hegner. 1791. 8. nouissima continuatio haec est. Dav. Cranz Brüderh. Dritter Abschnitt: vom Synodo 1782 — Synodo 1789. Barby 1804. 8. Leben des Herrn Nic. Ludw. Grafen v. Zinzendorf, beschrieben von Aug. Gottl. Spangenberg (Barby) 1772 — 1775. 8. Voll. 8. Leben Spangenbergs von Jeremias Risler. Barby 1794. 8. Dav. Cranz Historie von Grönland, insbesondere die Gesch. der dort. Mission der evang. Brüder. 1765. 8. Oldendorp Gesch. der Mission der evang. Brüder auf den Caraib. Inseln St. Thomas, St. Croix und St. Jean. Herausgeg. von Bossart. Barby 1777. 2 Voll. 8. Kurze zuverläss. Nachrichten von der Vnitas Fratrum Herkommen, Lehrbegriff, äussern und innern Kirchenverf. u. Gebräuchen. (Zürich) 1757. 8. (Spangenbergs) kurzgefaßte hist. Nachricht von der gegenwärtig. Verfassung der evangel. Brüderunität Augsb. Conf. Frankf. und Leipzig (Barby) 1774. 8. vid. etiam Walchs neueste Religionsgesch. III. p. 1. seqq. Wendeborn der Zustand des Staats, der Religion etc. in Großbrittanien gegen das Ende des 18ten Jahrh. III. p. 396 — 407. Stäudlin kirchl. Geogr. und Statist. I. p. 84. seqq. Nouissimus liber, in quo de historia huius sectae, infenso tamen animo, agitur, hic est: De Historie der oude en nieuwe Herrnhutsche Secte etc.

Amst. 1802. 8. germanice vertit Scholl et inscripsit: Gesch. der alten und neuen Herrnhuther und ihres Stifters Grafen Zinzendorf entworfen, beurtheilt und aus dem Holländ. übersetzt. Tübingen 1805. 8.

§. 122.

Symbolic vero Vnitatis ad Protestantes ratio haec est. Licet vehementius olim ac diutius a Protestantium theologis rejecti Fratres fuerint, tamen Protestantes esse recteque vocari inde satis elucet, quod Augustanam Confessionem profitentur; quod solo disciplinae veterum Fratrum usu et exercitio a reliquis distincti volebant esse; quod, quamquam a subtilioribus rerum theologicarum disquisitionibus sese continent, nullam tamen unquam earum partem rejecerunt, quam Protestantes publice profitentur; quod responso ordinis theologici caussam suam firmare solent, quo Protestantium nominis ac dignitatis participes declarati sunt; quod institutis tropis nexum cum Lutherana et Reformata ecclesia ad hunc usque diem confirmarunt, quo quidem instituto cum et Catholicis aliarumque societatum sociis accessum aperirent, vix Syncretismi notam effugere potuerunt. Quae omnia ab ipsis huius sectae sociis et confessionibus singulis et doctrinae expositionibus sexcenties repetita sunt.

Camerarii Hist. narratio de Fratrum orthodoxorum ecclesiis in Bohemia, ubi p. 263 — 272. de confessionibus olim ab eis editis agitur. Quod fuerit doctrinae Bohemorum Fratrum ingenium, satis intelligi potest ex plus quam decem confessionibus, praesertim ex novissimis illis tribus symbolis, quae edidit Koecherus: Die drey lezten und vornehmsten Glaubensbekenntnisse der böhm. Brüder, ihrer Seltenheit wegen von

neuem ans Licht gestellet und mit einem hist. Vorbericht von den mancherley Glaubensbekenntnissen der böhm. Brüder, imgleichen einigen histor. theol. Anmerk. und nöthigen Beilagen begleitet. Frankf. und Leipz. 1741. 8. Quarum una confessio a. 1535. lat. et germ. edita, imperatori et Bohemiae regi Ferdinando oblata, secunda a. 1563. regi Poloniae, tertia a. 1609. recognita imperatori Maximiliano et Sigismundo Augusto, Poloniae regi tradita fuit. Confessio octava reperitur etiam in Corp. et Synt. P. II. p. 161. seqq. inepte tamen inscripta: Bohemica confessio, quae hoc titulo edita prorsus diversa est ab illa, quae recte inscribitur: Confessio Fratrum Bohemorum. V. Köcher Hist. Bericht von den mancherley Glaubensbek. d. Böhm. Br. p. 47. — Ex Lutheranis, qui varia crimina nec nomen Protestantium Fratribus unitatis imposuere, satis est, excitare Ioh. Phil. Fresenii Nachrichten von Herrnhut. Sachen, 1 — 6. Samml. ed. 3. Leipz. 1747 — 1749. 8. Sigm. Iac. Baumgarten in Resp. Theol. P. I. et P. IV. Resp. 24. Ioh. Herm. Benner Lerna Zinzendorfiana et: Die Herrnhuterey in ihrer Schalkheit. Ioh. Gottl. Carpzov Religionsuntersuchung der böhmisch- und mährischen Brüder, Sect 3. c. 2. Ioh. Albr. Bengel Abriſs der sogenannten Brüdergemeinde, Stuttg. 1751. 2 Voll. 8. Das entdeckte Geheimniſs der Bosheit der Herrnh. Secte. Frankf. und Leipz. 1748. 8. (ed. Volck). Cfr. contra Declaratio et Testimonium Fac. theol. Tubing. ap. Wincler in den Beil. zu des Hrn. Grafen Anstalten und Lehrsätzen, p. 103. seqq. Cfr. etiam Scholl l. c. p. 26 p. 148. seqq. - De Syncretismo Zinzendorfiano Gerdes in Scrinio Antiquario. VII. P. I. p. 67. Car. G. Hofmann, manifestus Herrnhuthianorum Syncretismus etc. Witemb. 1745. 4.

§. 123.

Societatis autem huius indoles, cui singulae doctrinae formae, hic omittendae, singulaque disciplinae instituta accurate respondent, paucis ita proponi potest. Ex auctorum instituto et consilio Fratrum Vnitas primum redintegratio ac restitutio veteris illius disciplinae Bohemo-Moravorum Fratrum esse debuit; deinde resuscitata apo-

stolica illa disciplina complementum esse voluit Protestantismi, in quo gravis haec ecclesiae pars nimium quantum neglecta et imperfecta jacebat; tandem in convertendis ad christianam religionem gentilibus et in promovendo regno diuino latum sibi campum aperuit, in quo summa cum laude eximioque merito constanter ac pie allaborauit; postremo animorum, diuina Christi et Apostolorum religione nutritorum voluit esse in summis rebus consentiens, ab omni scholarum subtilitate aliena arctissimeque copulata societas, eum solum in finem instituta, ut non tam frigide mens imbui de Deo et Christo notitiis, quam suaviter dulceque frui Deo et Christo, coelestis religio e coelo devocata et in animis hominum collocata et in societatem piorum moresque ac vitam introduci, denique beata hominis vita omnimodis promoveri augerique possit.

(Com. de Zinzendorf) Büdingische Sammlung einiger in die Kirchenhistorie einschlagender Schriften. Büding. 1742 — 45. 18 Fasc. in 3 Voll. 8. Id. die gegenwärtige Gestalt des Creuz-Reichs Jesu in seiner Vnschuld. Leipz. (1745. 4. Id. περι ἑαυτου, d. i. naturelle Reflexiones über allerhand Materien (1746) 4. (Casim. com. de Lynar) Nachricht von dem Vrsprung und Fortgang, und hauptsächlich von der gegenwärt. Verfassung der Brüderunität. Halle 1779. 4. Büschings Magazin etc. Vol. XIII. XIV. Aug. Gottl. Spangenberg Idea fidei Fratrum oder kurzer Begriff der christl. Lehre in den evangel. Brüdergemeinen. Barby 1779. 8. (Ioh. Lorez) Ratio disciplinae unitatis Fratrum A. C. oder: Grund der Verfassung der evangel. Brüderunität Augsb. Conf. Barby 1789. 8. Christ. Gottlieb Frohberger Briefe über Herrnhut und die evangel. Brüdergemeine, nebst einem Anhange. Budissin 1797. 8. Ideen im Geiste des wahren Herrnhuthianism. Gesammelt aus den Papieren der Familie von

Frankenberg, und herausgegeben von Heinr. Friedr. von Bruiningk. Leipz. 1811. 8. quae quidem expositio multa alia admisit atque suscepit ab ingenio Vnitatis vehementer aliena.

§. 124.

Sed, ut humana ferunt, ita haec quoque societas mixta bonis et malis exstat; in ipsa disciplina multa habet imperfectiora, ab Apostolorum et antiquae ecclesiae, cuius non ita disciplinae vinculis coarctata pietas reperitur, ingenio abhorrentia nostrisque temporibus, ubi et superstitio et fidei labes subactam postulat, praesertim in theologo, eruditionem atque ab omni parte excultam scientiam, non omnino respondentia, praetereaque reprehensione digna nonnulla, quo pertinet imprimis sortis inhonestum imperium. In tanta denique hominum, qui undecunque confluentes huic societati, paucorum tantum ingenio ac naturae convenienti, nomen dedere, frequentia non potest fieri, quin ipsius vis ac praestantia magis magisque imminuatur, ac disciplinae vigor debilitetur, ita, ut quam parum universo hominum generi et Christi de redimendo omni peccatore mundoque consiliis congruat, nimium probet ipsa.

Cfr. prae ceteris Bruiningk Ideen etc. p. 57. seqq. et Schlegel Kirchengesch. des 18ten Jahrh. p. 868. seqq.

CAP. 2.

DE MENNONITIS.

§. 125.

Mennonitae (Taufgesinnte, Doopsgesinde, Baptistae, Anabaptistae, Catabaptistae) a veteribus illis Waldensibus origines suas repetere malunt, quam a Fanaticis illis Sec. XVI. qui non solum ecclesiam, sed etiam res civiles misere turbabant. Quibus fere exstinctis Menno Simonis, homo pius nec indoctus eodem etiam tempore novam sibi familiam collegit sobrie pieque viventium, quorum et constantia et numerus persecutionibus ac martyrum copia mirum in modum crevit. Nullam enim neque in Occidente neque in Oriente consentientem habebant ecclesiam. Dissentientes inter se de Mennonis ipsius veris sententiis in varias sectas abiere, quarum praecipuae sunt Waterlandorum (Waderlaender) et Flamingorum (Flamminger). Mennonitarum coetus in Germania, Bohemia, Moravia, Borussia, Hollandia, Anglia, Helvetia, Hungaria, Transylvania aliisque locis reperiuntur.

Ioh. Henr. Ottii Annales Anabaptistici. Basil. 1672. 4. de martyris v. p. 233. seqq. (Galen. Abrahams) Verdetiging des Christenen, die Doopsgesinde genaamt worden. Amst. 1699. 8. The history of the english baptists from the reformation to the beginning of the reign of K. George I. by Th. Crosby. Lond. 1738 — 1740. 4 Vol. The history of the english american baptists by Isaac Backus. Boston. 1777. 1784. 2 Vol. Historia Christianorum, qui in Belgio foederato inter Protestantes Mennonitae appellantur, in qua praeter eorum originem, progressum, statum hodiernum et fidei confessionem simul ostenditur ingens inter hos et Anabaptistas Germanos et Monasterienses discrimen;

adjecta accurata disquisitione de antiquitate baptismi Proselytorum inter iudaeos, per Hermannum Schyn, Med. D. et inter Mennonitas verbi div. ministrum P. I. Amst. 1723. 8. P. II. Historiae Mennonitarum plenior deductio etc. (postmortem auctoris). Amst. 1729. 8. Gründliche Historie von denen Begebenheiten, Sreitigkeiten, und Trennungen, so unter den Taufgesinnten oder Mennonisten von ihrem Vrsprunge an bis aufs Jahr 1615 vorgegangen. Anfänglich von einem Mennonisten selbst, der sich J. H. V. P. N. genennt, in holländ. Sprache geschrieben, jezund aber in die hochdeutsche Sprache übers. und mit einigen Anmerkungen, Zugaben und Vorbericht — vermehrt von Joach. Christian Iehring, Pastore der ev. luth. K. in Ostfriesl. Zum Druck beförd. und mit Vorr. versehen von Joh. Franz. Buddeo. Jena 1720. M. Sim. Friedr. Rues aufrichtige Nachrichten von dem gegenwärt. Zustand der Mennoniten oder Taufgesinnten, wie auch der Collegianten oder Reinsburger, beiderseits ansehnlicher kirchl. Gesellschaften in den vereinigten Niederl. etc. Jena 1743. 8. Walchs neueste Religionsgesch. II. p. 399. seqq. VIII. p. 413. seqq. et IX. p. 303. seqq. Joh. Aug. Stark Gesch. d. Taufe und Taufgesinnten. Leipz. 1789. 8. Stäudlin kirchl. Geogr. und Statistik. I. p. 81. seqq. II. p. 236. seqq.

§. 126.

Doctrinae suae ac disciplinae saepius rationem reddidere. Magna exstat symbolorum copia, quorum tamen nec differentia interna, nec hodierna auctoritas satis constat. Nam ut rarum est huius sectae cum literis commercium, imo ea ab omni fere eruditione et theologia abhorrens vita magis ac moribus, quam diuinarum rerum scientia insignis, singularem sentiendi suam rationem prae se fert: ita ea quoque, quae huic hominum generi propria sunt, apud plurimos non tam singulari scientia, quam consuetudine et traditione nituntur. Abjecere nonnullas Mennonis sententias; Socinianorum nonnulli fovere placita; a vetere

rigore omnes fere desciverunt; quae omnia, ut quis unius est vel alterius partis, vehementer diversa sunt.

Antiquissima fidei confessio haec est a. 1580: Praecipuorum Christianae fidei articulorum breuis confessio, adornata a Jo. Risio et Lubberto Gerardi, ministris verbi diuini inter Protestantes, qui in Belgio foederato Mennonitae appellantur, e belgico latinitate donata ap. Schyn. I. p. 172. seqq. Praeterea a. 1665 confoederati Flamingi, Frisii et Germani ediderunt generales confessiones, in quibus omnibus eius fidei Mennonitis communionem ecclesiasticam offerunt v. Schyn l. c. II. p. 79. Secunda confessio est, quam a. 1626. deputatis omnis Hollandiae obtulerunt, qua Mennonitarum tolerantia in his terris fundata et confirmata est; agit ea imprimis de uno Deo, Patre Filio et Sp. S. et de incarnatione filii Dei. Ap. Schyn l. p. 79. Tertia confessio vocatur Ramus olivae et continet inter alias res responsionem ad quaestionem, quaenam sint fundamentalia certaque signa, ex quibus Dei filii membraque Iesu Christi, quae Dei ecclesiam constituunt, possunt et debent cognosci. Ap. Schyn l. c. p. 85. Quarta inscripta est: Confessio fidei ac praecipuorum doctrinae christianae articulorum, sicut illa vi sacrae scripturae inter illos, qui vulgo confoederati Frisii et Germani vocantur, recepta est. Ap. Schyn l c. p. 87. Quinta confessio Dordraci composita a. 1632. nullam prodit differentiam, nisi quod aliis utatur phrasibus vel unum et alterum articulum fusius explicet. Articulorum enumerationem v. ap. Schyn l. c. p. 114. totam vide germanice ap. Bentheim Holländ. k. u. Sch. staat. I. p. 845 seqq. quam falso nouissimam dicit auct. Sequitur enim sexta, quae continet verum unitatis foedus, Vltrajecti inchoatum et renovatum, confirmatum autem in congregatione Lugduni Batavorum habita a. 1664. per quosdam Mennonitarum doctores et diaconos confoederatarum Flamingarum, Frisiarum et Germanicarum ecclesiarum, v. Schyn l. c. p. 115. ubi addit: „Probe vero notandum est, inter omnes hasce diversas confessiones non solum nullam veram et notabilem esse differentiam, sed potius in illis tantam esse fidei analogiam, ut ministri in hoc foedere rotundis verbis profiteantur, in omnibus illis praecedentibus Confessionibus, nominatione ibi expressis, contineri nostram Catholicam fidem, Dei verbo omnino convenientem etc. Sic ergo Mennonitae a tempore Mennonis Simonis in

praecipuis et fundamentibus articulis in hunc usque diem tantam habent fidei analogiam, quam ulla alia inter Christianos Secta." l. c. neque tamen quemquam effugere potest, nonnulla in his praetermissa, in aliis adjecta esse. Accessere postea Flamingorum hae confessiones: Confessio illorum Mennonistarum in Porrussia, qui Clasici vocantur, 1678. 4. alia est a. 1755 a Flamingorum congregatione Groningensi sanvita v. Schlegel Kirchengesch. des 18ten Jahrh. p. 1003. seqq. Stäudlin l. c. p. 243. Alberti Briefe über England. IV. p. 1245. seqq. Wendeborn l. c. p. 256 —268. Brevis catechesis religionis christianae, in usum inventutis secundum Mennonitarum confessiones composita, et in lucem edita ex speciali auctoritate Synodi Amstelaedamae, habitae d. 12. Iun. 1697. v. Schyn l. c. II. p. 361. seqq. Die Glaubenslehre der wahren Mennoniten oder Taufgesinnten, aus deren öffentlichen Glaubensbekenntnissen zusammengezogen durch Cornelius Ris, Lehrer der Mennoniten in Hoorn, nebst einem erläuternden Vorbericht u. Anhang. Aus dem Holländ. übers. Hamb. 1776. 4. Reinhard Rahusen Catechet. Entwurf der christl. Lehre zum Vnterricht der christl. Jugend. Hamb. 1777. 8. Galeni Abrahams Apologie der Protestanten, welche glauben, dafs nur diejenigen zu taufen seyen, welche ihre Vernunft gebrauchen können. 1699. qui liber Socinianismum sapit neque confessionibus Mennonitarum accomodatus est, ut demonstrat Schyn l. l. II. p. 320. et Douwe Fedderiks Vntersuchung der mennonit. Lehre. 1700. v. Schyn l. l. p. 333. seqq. Joh. Sim. Stinstra Die Natur und Gestalt von Christus Königreich, Vnterthanen, Kirchen und Gottesdienst, in fünf Predigten. Amst. 1741. Ejusd. Warnung vor dem Fanaticismus, nebst Einleitung, darinn die Gesch. der Herrnhuther und einiger Entzückten in Holland kürzlich erzählt wird. Berl. 1752. 8. Rues aufricht. Nachr. p. 25—42.

§. 127.

Perpauci sunt inter Polemicos, qui non hanc Mennonitarum sectam multis criminationibus acrioribusque contumeliis temere affecerint. Longam errorum enumerationem facere solent. Neque tamen plura sunt quam quatuor doctrinae ac disciplinae capita, quibus a ceteris ecclesiis omni-

bus christianis distinguuntur. Primum est de adultorum baptismo. Anabaptismus autem, qui dicitur, quamquam negari non potest, eum olim obtinuisse et adhuc inter rigidiores huius sectae asseclas locum habere, nostris tamen diebus iam pridem apud ceteros Mennonitas exolevit nec unquam instituitur. Secundum caput est de non ambiendo magistratu munereque publico; quod quantumvis sit bonum, necessarium, omnique reverentia dignum, tamen credunt, Christum in regno suo spirituali, quod non est de mundo, non instituisse neque officiis suae ecclesiae adiunxisse, quin discipulis suis, ut ab his genere prorsus diversis muneribus abstineant, iussisse. Luc. 22, 24. seqq.

Qui ex Catholicis, Lutheranis ac Reformatis contra hanc sectam arma tulerunt, enumerantur a Walchio Bibl. theol. sel. II. p. 13. seqq.

„Sacer baptismus est externa, visibilis et euangelica actio, in qua, secundum Christi praeceptum et praxin Apostolorum, ad finem sanctum, aquâ baptizantur in nomine Patris, et Sp. S., qui doctrinam sancti euangelii audiunt, credunt et libenter, poenitenti corde, accipiunt. Tales enim jussit Christus baptizari sed neutiquam infantes." Confess. breuis a. 1580. Art. 31. ap. Schyn I. p. 208 cfr. quarta conf. Art. 11. ap. Schyn II. p. 160. „Saltem hoc nomine (Anabaptistarum) veri Catabaptistae sive Mennonitae priori saeculo in hunc usque diem notati sunt, atque supplicio sanguinariorum edictorum expositi: sed quam injuste, contra christianam charitatem, verasque rationes, aequo et non plane praejudicato lectori evidenter patebit, simulac ipsi placuerit, veram et sinplicem comparationem facere inter tumultuosum et immoderatum agendi modum veterum horum Anabaptistarum et religiosum usum verorum Catabaptistarum sive Mennonitarum, qui a multis retro annis neminem, cuiuscunque sectae Christianum, ab ordinato ministro ecclesiae, post confessionem peccatorum et christianae fidei, se-

cundum institutionem et mandatum Domini nostri Iesu Christi, Matth. 28, 19. baptizatum, dum ad communionem suarum ecclesiarum transit, rebaptizant, sed illud semel acceptum baptismo sartum tectum habent et pro sufficiente agnoscunt; imo vero illum solummodo post confessionem fidei pro vero membro ecclesiae et confratre in Christo amplectantur, aperte et candide afirmantes, nullum dari, nisi unum baptismum etc." Schyn I. c. 1. p. 10. cfr. c. 3. p. 55. c. 4. p. 82. seqq. Antonii van Dale Historia Baptismorum. l. IV. p. 375. Fuere Sec. XVI. haud pauci inter Socinianos, qui primarium illud Mennonitarum de adultorum baptismo placitum fouerent ac defenderent, quo pertinet Martinus Czechowicz cum libro de Paedobaptistarum errorum origine et de ea opinione, qua infantes baptizandos esse in primo natiuitatis eorum exortu creditur. Lublini 1515. 4. quem refutare aggressus est Io. Rud. Kiefsling, libro inscripto: das Lehrgebäude der Wiedertäufer nach den Grundsätzen des M. Czechowicz, eines der ältesten Bestreiter der Kindertaufe und seiner Nachfolger, zur Vertheidigung der Kindert. von etc. Reval und Leipz. 1776. 8. — Guil. Walli Hist. bapt. infantum, ex anglico lat. vertit Io. Lud. Schlosser. Bremae 1748. contra hunc scripsit Gale Reflexions on Msr. Wall Hist. of infant-baptism, in sweral letters to a friend. Lond. 1711. 8.

„Potestas siue Magistratus politicus necessaria Dei ordinatio est, instituta ad gubernationem communis societatis humanae et conversationem vitae naturalis et ciuiliter bonae, ad defensionem bonorum et castigationem malorum. Agnoscimus, verbo Dei nos obligante, officii nostri esse, potestatem revereri, eique honorem et obedientiam exhibere omnibus in rebus, quae verbo Domini non sunt contrariae. — Potestatem hanc politicam Dominus Iesus in regno suo spirituali ecclesiae novi Test. non instituit neque hanc officiis ecclesiae suae adjunxit, neque discipulos aut sequaces suos ad regalem, ducalem, vel aliam potestatem vocavit, neque praecepit, ut illam acciperent et mundano more gubernarent, multo minus ecclesiae suae membris dedit legem, tali muneri aut domino convenientem, sed passim ab eo (cui, voce e coelo audita, auscultandum erat) vocantur ad imitationem inermis eius vitae et vestigia crucem ferentia et in quo nihil minus apparuit, quam mundanum regnum, potestas et gladius." Conf. breuis a. 1680. Art. 37. ap. Schyn l. c. p. 214. cfr. II. p. 49. seqq. et quarta conf. l. l. p. 104. seqq.

§. 128.

Tertium caput est de vindicta et bello discipulis Christi nequaquam licito, quod praecipue Christi mandato, Matth. 5, 38. seqq. et primorum christianorum exemplo adstruere solent. Quartum est de jurejurando non admittendo, quod Christi verbis expressis prorsus vetitum esse censent. Praeterea severam ac rigidam exercent excommunicationem, sedatam, simplicem ac quietam vitam degunt, resque suas domesticas et negotiales summa religione integritateque, nec quicquam rei publicae curant.

„Hisce omnibus exacte perpensis atque insuper, non pauca cum munere postestatis politicae conjuncta esse, ut bellum gerere, hostibus bona et vitam eripere etc. quae vitae Christianorum, qui mundo mortui esse debent, aut male aut plane non conveniunt; hinc a talibus officiis et administrationibus nos subducimus." Conf. breuis a. 1580. Art. 37. l. l. p. 216. cfr. quarta conf. Art. 16. l. c II. p. 104. „Certe inter illa, quae Spiritui sancto et doctrinae christianae sunt contraria, nihil adeo alienum et adversum est, quam bellum, quo totus mundus repletur violentia, oppressione, caedibus stuprationibus uxorum et virginum, spoliationibus, praedationibus, incendiis, exustionibus et omnis generis lascivia et crudelitate, adeo ut mirum sit, homines, ad imaginem Dei conditos potuisse in tantum degenerare, ut potius referant imaginem et naturam leonum rugientium, tigridum dilaniantium, luporum devorantium et ursorum saevientium, quam creaturarum rationalium intellectu praeditarum. Imo maiori admiratione adhuc dignum est, horrendum hoc monstrum ex orco erumpens non tantum locum invenisse, sed et ab iis hominibus foveri potuisse, qui se discipulos pacifici nostri magistri Iesu Christi profitentur et κατ᾽ ἐξοχὴν principes pacis vellent nominari." Schyn l. c. II. p. 58.

„Iesus Christus, Rex et Legislator novi testamenti Christianis omne jusjurandum interdixit atque eapropter

omne jusjurandum fidelibus noui testamenti illicitum est." Conf. a. 1580 Art. 38. l. l. p. 216. cfr. quarta conf. Art. 17. ap. Schyn II. p. 105.

„Disciplina ecclesiastica sive extrema poena etiam est externa actio inter fideles, qua peccator impoenitens post christianam allocutionem et sufficientem admonitionem communione Dei et sanctorum eius propter peccata secluditur eique ira et excandescentia Dei (donec resipiscat et emendetur) denunciatur. Qua externa ecclesiastica seclusione demonstratur, quomodo Deus iam cum secluso propter peccata sua egerit vel de eo judicaverit. Apud Deum ergo est antecedens super lapsum peccatorem, sed apud ecclesiam subsequens iudicium. Quapropter imprimis cavendum est, ne quis in ecclesia condemnetur, qui non ante per verbum Dei condemnatus est." Conf. l. c. Art. 35. p. 212. cfr. quarta conf. Art. 18. p. 105. Schlegel Kirchengesch. des 18ten Jahrh. p. 996. seqq. Rues l. c. p. 42. seqq.

CAP. 3.

DE QUAKERIS.

§. 129.

Aliam deinde singularemque formam christiana pietas accepit a Quakerorum sive Trementium sectae auctore, Georgio Foxio, Anglo, qui interno lumine ductus circa medium Sec. XVII. eam societatem condidit. Magna mox incrementa cepit, postquam homines et ingenio et eruditione insignes ad eam propagandam et contra opprobria et persecutiones defendendam accesserant. Eadem secta, libertate deinde publica impetrata, non solum in Anglia stabilem sedem invenit, sed etiam, Guilelmo Pennio auctore, in America nouam reipublicae formam con-

condidit. Etiam in Germania nostris temporibus Quakerorum familiae reperiuntur.

William Sewel Geschichte von dem Vrsprung, Zunehmen und Fortgang des christl. Volks, so Quäker genennet werden, mit allerhand merkwürdigen Begebenheiten, insonderheit aber dem Kern der englischen Staatsveränderung von Karl I. an bis auf die Regierung des jetzigen Königs Georgii II. vermischet 1742. fol. ab auctore primum belgice compositum opus, deinde ab eodem anglice editum. Lond. 1622. Histoire des Trembleurs. 1733. 8. Robert Proud History of Pensylvania in North-Amerika: from the original institution and settlement of that Province till after the year 1742. with an introduction respecting the life of W. Penn prior to the grant of the religious society of the people, called Quakers. Philad. 1747. 8. 2 Vol. W. Penn kurze Nachricht von der Entstehung, und dem Fortgange der christl. Gesellschaft der Freunde, die man Quäker nennet; germ. ed. Ludwig Seebohm. Pyrm. 1792. 8. (W. A. Teller) Lebensbeschreibung des berühmten Penn. Berl. 1779. 8. Vrsprung, Fortgang und Verfassung der Quäkergemeinde zu Pyrmont. Von F. C. E. Schmidt. Braunschw. 1805. 8. legitur etiam in Henke Religionsannalen, Vol. II. Fasc. 12. p. 629 seqq. Stäudlin kirchl. Geographie und Stat. I. p. 171. seqq.


§. 130.


Totius autem doctrinae Quakerorum summa continetur illa de lumine ac verbo interno sententia, quod saepius etiam Christum in animis, infallibile et immediatum Sp. S. testimonium et unicum Sacrae Scripturae interpretem, imo hac superius religionis christianae cognoscendae principium ac primarium fontem esse declarant. Secundaria igitur fidei norma Scriptura sacra est, nihilo tamen minus aestimanda. Nullus reperitur apud Quakeros baptismi ac coenae sacrae externus usus: utrumque spirituale quoddam in animis est.

Nec eorum verborum, quae in sacris libris non inveniuntur, usum admittunt v. c. trinitatis, personae etc. ac prorsus abhorrent a subtilitatibus theologicis. Jusjurandum et magistratum gerendum repudiant; bellum et arma recusant; decimas dare ministris ecclesiae detrectant; horum omnino ordinem non admittunt, imo mulieribus etiam praedicandum dant verbum divinum. Praeterea disciplinae genere, moribus ac vita a ceteris hominibus distinguuntur.

V. Sewel l. c. praes. p. 579. seqq. Roberti Barclaii, principis inter Quakeros omniumque eruditissimi Theses theologicae, lat. ac belg. Amst. 1675. Theologiae vere christianae Apologia, primum anglice scripta, deinde lat. edita. Amst. 1676. 4 Hoc theologiae Quakerianae compendium prodiit etiam gallice et germ. inscriptum: Apologie oder Vertheidigungsschrift der wahren christl. Gottesgelahrtheit, wie solche unter dem Volk, so man aus Spott Quäker, das ist, Zitterer nennet, vorgetragen und gelehret wird: oder völlige Erklärung und Rettung ihrer Grundsätze und Lehren etc. 1740, 8. Ab eodem auctore conscriptus est et ab universa secta approbatus Catechismus und Glaubensbekenntniſs, welche von der allgemeinen Versammlung der Patriarchen, Propheten und Apostel (in und unter welchen Christus fürnehmlich das Wort geführet) gut geheiſsen ist. Vnd worinnen auch verfasset ist eine wahrhaftige und treue Erklärung der Principien oder Hauptstücken, als auch der Lehre, die von der Gemeine Christi in Engelandt, Schottlandt, Hollandt und anderswo (welche in Spott Quäker genannt werden) ohn allen Zweifel angenommen und geglaubet wird, welche bespottete Quäker in einem und demselben Glauben, welchen die Heiligen von Alters und die ersten Christen gehabt haben, gefunden werden etc. Durch Rob. Barclay. Amst. 1679. Ge. Wilh. Alberti Aufrichtige Nachricht von der Religion, Gottesdienst, Sitten und Gebräuchen der Quäker; nebst einer kurzen Erzählung der Gesch. dieses Volks. Hannover 1750. 8. Wendeborn l. c. p. 307 — 336. A portraiture of Quakerisme taken from a view of the moral education, discipline, peculiar customs, religious principles, political and civil oeconomy and

character of the Society of Friends. By Th. Clarkson, ed 2. 3 Vol. Eorum denique, qui inter Protestantes scriptis suis Quakerorum sectae sese opposuere, longum catalogum exhibent Walch. Bibl. theol. sel. II. p. 34. seqq. et Pfaff. Introd. in hist. theol. liter. II. p. 376 seqq. Cfr. etiam, Joseph Gurney Bevan a Refutation of some of the more modern misrepresentations of the Society of Friends etc. Lond. 1800. 8. castigantur Moshemius, Maclanius, Formeyus, Humius cet. germ. Berichtigung einiger Geschichtschreiber in ihren Nachrichten von den Quäkern in Henke Beitr. zur neuesten Gesch. der Religion, des Kirchenwesens und der öffentl. Erziehung. II. p. 34 — 114.


UNIVERSITY OF CHICAGO
21 911 219


UNIVERSITY OF CHICAGO
21 911 219